This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600077331R

SEX. AURELII PROPERTII

# CYNTHIA.

E Typographia Fratrum Giunta d'Albani, Hagae Comitum.

# SEX. AURELII PROPERTII

# CYNTHIA

## CUM LIBRO QUARTO ELEGIARUM

## QUI PROPERTII NOMINE FERTUR.

EDITIO NOVUM IN ORDINEM DIGESTA

RECENSENTE

**DOMINICO CARUTTI.**

Vestigia . . . *ausus* deserere.
Hor. *Art. Poet.*

HAGAE COMITUM,
APUD MARTINUM NIJHOFF,
MDCCCLXIX.

297. f. 6.

# DOMINICUS CARUTTI

## BENEVOLO LECTORI

*S. D.*

---

Veteres scriptores, in libris manu scriptis saepenumero foedis sordibus inquinati, saeculo XV et XVI ab Italis, XVII et XVIII a Batavis, nostra aetate a Germanis emendati atque ad meliorem lectionem restituti sunt. Nihilominus, post tot tantasque doctissimorum virorum curas, post, paene dicam, demessam et receptam segetem, aristas quasdam legendas superesse, iis satis constat, qui hujuscemodi lucubrationibus qualemcumque operam navarunt.

Propertius, prae caeteris fortasse Latinis, aetatis et scribarum injuria collabefactus fuit; quo fit ut illius carmina magis laudata quam lecta, magis fama elata quam a multis penitus perspecta videantur. Ad poetam Umbrum fortuito revocatus, ingenii luminibus, stili elegantia et vi, nonnunquam affectuum suavitate et moestitia captus, eum diligenter lectitare et deinde quaedam corrigere exorsus, paullatim ad omnes elegos recensendos animum adjunxi.

Qua in re hoc mihi constitutum habui et pro viribus effeci, ut CYNTHIAE carmina, quae Sex. Aurelius tribus omnino libris

complexus erat, in temporum ordinem redigerem, quibus ab auctore exarata atque vulgata fuere; deinde elegiarum fragmenta discerpta et sparsim disjecta conjungerem; permixta vero cum aliis carminibus mireque conglutinata separarem; item verborum contextum haud raro in Codicibus impressisque libris manifesto corruptum emendarem; versus abunde interpositos expungerem; denique argumentis confirmarem elegos Quarti Libri, si unum excipias, Propertio non esse tribuendos.

Homo in hac literarum provincia novus, nulloque cum doctis viris nomine censendus, animi dubius diu multumque fui, utrum opella mea ad finem suum perducta luci permittenda esset necne; sat enim temeritatis, parum doctrinae, ne consilii dicam, ab acutioribus optimo jure argutum iri sentiebam. Postremo mihi persuasi innoxium volumen typis excussum nulli detrimento fore, idcirco leve ac venia dignum fore peccatum. Ad hoc mecum ipse reputabam tam parvam eorum extare manum in Italia, qui ingenii aciem in hisce mansuetioribus castris exerceant, ut, si quis infrequentem et paene solitariam viam faciat, benevolentiam potius quam supercilium apud aequos judices sit nacturus.

Quomodocumque se res habeat, me nunquam pertaesum erit temporis in suscepto labore triti. Usu enim comperi quanta cum veritate Tullii os rotundum et magniloquens humaniores literas laudaverit veluti rebus in *adversis perfugium ac solatium:* puram ex illis voluptatem percepi, ac saluberrimam mentis a dolore aberrationem: *detinui tempus curasque fefelli.*

Dabam Hagae Comitum Kal. Febr. MDCCCLXIX.

# DE VITA ET CARMINIBUS PROPERTII.

## DISSERTATIO.

Multa sunt quae criticum acumen subterfugerunt post immensas commentariorum moles.

DAN. HEINSIUS ad Horat.

---

## I.

### DE VITA PROPERTII.

Pauca de Propertii vita nobis literae prodiderunt; quaeque ex illius elegis deprehendimus, plerumque magis conjecturis quam certis argumentis nituntur. Pauciora mihi prae caeteris ex hoc fonte haurire licet, qui librum Elegiarum quartum Propertio asserendum esse negem.

Sextus Aurelius Propertius honesto loco natus est in Umbria haud longe Perusia, ineunte saeculo octavo ab urbe condita; quo anno, dissident inter se eruditi. Omnibus enim ante oculos versatur et fucum facit elegia Libri quarti, ubi Astrologus personatum Propertium sic alloquitur:

Ossaque legisti, non illa aetate legenda
  Patris et in tenues cogeris ipse Lares.
Nam tua cum multi versarent rura juvenci,
  Abstulit excultas pertica tristis opes.
Mox, ubi bulla rudi demissa est aurea collo,
  Matris et ante deos libera sumpta toga,
Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo etc.

Interpretes *perticam tristem* exponunt Italorum agros inter Octaviani milites divisos anno DCCXIII; ergo puer, qui haud ita multo ante praetextam deposuit, ortum habuit eo temporis spatio, quod annum DCXCVI a DCCXIII disjungit; exinde unusquisque pro lubitu diem natalem ponit vel anno DCCII, vel DCCVI vel DCCVIII, immo etiam anno DCXCVII [1]. Quae omnia veri quamdam prae se ferunt similitudinem, carminis fide admissa; sin minus, omnium conjecturarum fundamenta in aqua sunt jacta.

Propertius tamen, mea sententia, litem diremit loco nondum satis examinato. In novissima Libri primi legitur:

Si Perusina tibi patriae sunt nota sepulcra —
  Italiae duris funera temporibus,
Cum Romana suos egit discordia cives — . .
Proxima supposito contingens Umbria campo
  Me genuit, terris fertilis uberibus.

Quae verba poetice tradunt, ni fallor, natalem annum, nempe DCCXIV, bello et Perusinis cladibus Italiae funestum. Simili locutione annum natalem ipse suum designavit Ovidius, clarius tamen de more scriptoris:

Editus hinc ego sum, nec non ut tempora noris,
  Cum cecidit fato Consul uterque pari;

scilicet anno DCCXI, quo Hirtius et Pansa Consules in Mutinensi bello occubuerunt.

Huic Propertiani carminis interpretationi alter Ovidianus locus prima fronte adversari videtur. In X quarti Libri *Trist.* v. 51 scriptum legimus:

Virgilium vidi tantum, nec avara Tibullo
  Tempus amicitiae fata dedere meae.
Successor fuit hic tibi, Galle; Propertius illi:
  Quartus ab his serie temporis ipse fui.
Utque ego majores, sic me coluere minores.

---

[1] Barthius an. DCCII; Lachmannus DCCVI vel DCCVII; Hertzbergius DCCVIII; Vulpius autem DCXCVII.

Propertius igitur, si *seriem temporis* intelligas pro naturali aetate, Ovidio natu major fuit. Accurate tamen perpendentes, interiusque integram sententiam rimantes, colligimus ad successionem et chronologiam amatoriae poeseos hic solum Nasonem conspexisse. Gallus semet interemit anno DCCXXVIII; posterior est Tibullus qui obiit anno DCCXXXV; illum excipit Propertius immature praereptus anno DCCXXXIX vel DCCXL. Tunc, serie temporis quartus, succedit Ovidius, qui aeque ac majores ipse coluerat, a minoribus colebatur, ab iis nempe qui post eum felici carmine inclaruerunt. Re enim vera in maximo elegiaco poemate, quo totus Liber *Tristium* secundus constat, commemoratis decessoribus suis, inter quos Tibullum et Propertium addit: *His ego successi* (*Trist.* Lib. II, v. 467).

Sex. Aurelius, morte functus sub annum u. c. DCCXXXIX, haud ita multo post sextum et vicesimum annum vitam produxit, librique *Cynthiae* confecti fuere intra undevicesimum et vicesimum quintum. Praecox ingenium sane admirandum; cujus tamen rei exempla praeclarissima fuerunt Ovidius, Lucanus, Persius, Aligherius, Tassus, Voltarius aliique in Musarum cultu primas consecuti. Ac si ad Graecos spectemus, non erit abs re vetus epigramma memorare:

Lesbidis Erinnae non magna mole, sed omnis
Pieridum redolet dulcia mella favos:
Haud plus ter centum quae versibus aequat Homerum
Annos nata decem virgo superque novem. [1]

Hoc vero praecipue intelligi volo, criticos de natali certantes concordissime statuere poetam juniore aetate Cynthiam condidisse. Juxta Barthii computationem primos elegos fecit annum

---

[1] Anthol. Graec. Tit. LXVIII, Epig. 14, ex interpretatione Hugonis Grotii, maximi viri, qui anno secundo et vigesimo commentarium *De Jure praedae* conscripsit, nuperrime in lucem editum, cujus notum opusculum *Mare Liberum* erat caput duodecimum.

secundum et vicesimum agens; e conjectura Lachmanni Hertzbergiique undevicesimum. Quibus adstipulatur Martialis versus:

Cynthia facundi carmen juvenile Properti. [1]

Hinc quoque intelligitur, cur nemo aequalium nominaverit poetam, qui ea esset aetate, ut majoribus de eo bene sperare liceret, nondum videretur Mercurialis vir laurea Apollinari donandus. Fastum aequaevum ille notabat seque ita solabatur in El. I, Lib. Tert. v. 21:

At mihi quod vivo detraxerit invida turba,
Post obitum duplici fenore reddet Honos.

Hujus quidem loci est monere, Vulpium ratum fuisse Venusinum sub specie garruli et importuni hominis Sat. IX, Lib. I, Propertium depinxisse, eumque carpsisse v. 19, Sat. X ejusdem Libri:

Nil praeter Calvum et doctus cantare Catullum.

Quam conjecturam ratio temporum funditus subvertit, nam Horatius Sermonum librum primum edidit anno DCCXIX; qua tempestate Noster nucibus ludere, non elegos pangere solebat, nedum Maecenatis favorem aucupari. Rursus divinat Propertium lacessere versus Epist. II Lib. Sec. v. 99:

Discedo Alcaeus puncto illius: ille meo quis?
Quis nisi Callimachus? si plus adposcere visus,
Fit Mimnermus et optivo cognomine crescit.

Flaccus Epistolarum Secundum post annum DCCXXXVII emisit, jam duobus vel forte tribus *Cynthiae* libris proditis, ideo Propertii juvenilem animi elationem, quam plura patefaciunt, urbano scommate perstringere potuit; sed epistola nullum poetarum genus praetermittit, ideoque nullum certum hominem, sed omnium vitia sibi invicem coronas nectentium cavillari videtur. Ad hoc Sex. Aurelius nusquam Horatium designat, nedum Alcaeum

---

[1] Solus Vulpius loca Propertiana cruciando Propertium natum declarat anno DCXCVI, proinde Primum Librum vulgatum aetatis anno septimo et vicesimo.

jactet, vel ejus carmina novem Musis dictitet sacrata. Doctus Italus in caducum parietem inclinavit. Juvenem paululum gloriantem, at neque bardum neque obesae naris, in scriptis suis praeterire, non tectis verbis irridere, Lyricorum principi fas erat.

De loco natali aeque discrepant docti viri. In Umbria se natum Propertius dixit; quanam urbe vel pago, silet. Quare conjecturae numero paene infinitae, septemque civitates de incunabulis inter se contendentes: Mevania, Hispellum, Assisium, Ameria, Fulginium, Spoletium, Perusia. Ambigua lis sedata credebatur, quum anno Ch. MDCCXXII Taddeus Dannola vetustam tabulam Hispelli erutam in medium protulisset, nomen et patriam poetae insculpta exhibentem; res tamen incerta denuo facta, quum Hispelli osores adulterinum, ad Propertium quod attinet, titulum arguere. Insuper Hispelli oppidum in colle situm est: Propertius e contrario se natum in planitie declarat, *supposito campo* [1].

---

[1] Lapis Hispellensis insculptum repraesentat caput dei cujusdam, Apollinis puto. In parte superiori legitur: L. COMINIUS L. F. LEM; in inferiore:

SEX AUREL.
PROPERT.
SEX. F. LEM.

Loco in quo repertus fuit, Propertii rus extitisse fertur, quae vulgo *villa poetae* vocabatur. Quum fundus progressu temporis ad L. Cominium pervenisset, hic, ajunt, nomen suum tabulae additum voluit. Sed Fabius Albertus, Mevanas, aliique nos certiores faciunt ante annum Chr. MDCCXXII lapidem notum et visum fuisse, immo a Ludovico Jacobilio descriptum, nulla facta mentione inscriptionis Propertianae, memorata tantum Cominiana, quae multo minoris momenti erat; eam igitur a falsario additam consent. Nihilominus iconem tabulae conspicientibus, quam Burmannus editioni Propertii praefixit, dubium est utrum titulus Propertianus an Cominianus primo additus fuerit; nam ille, tribus versiculis conflatus, maximam marmoris partem occupat, quam vacuam caelator relinquere non potuit; Cominii vero inscriptio exiguum locum tenet supra Apollinis caput, unaque linea continetur. Quamobrem credendum erit, sub Dei imagine artificem ornatus et emblemata caelavisse ad Apollinem spectantia; his erasis, falsarius inscriptionem Propertianam eorum loco insculpsit.

Plinius Junior epistola 15, Lib. VI laudibus effert *Passienum* (lege Passennium) Paullum aequaevum suum clarumque poetam a Propertio genus ducentem ejusque municipem. A quo autem Umbriae municipio Passennia gens sit oriunda, vel in quo Passennius Paullus natus, neque e Plinio neque aliunde colligitur. Lapides Assisii reperti Propertiorum atque Passenniorum nomina referentes probabile suppeditarent argumentum iis qui patriam Sex. Aurelii eandem esse ac Divi Francisci arbitrentur, nisi contra Assisium pariter testarentur verba *supposito campo;* quae apertissime planitiem demonstrant, quaeque vel omnibus machinis adhibitis non magis ad Assisium quam ad Hispellum respiciunt, oppida in montium cacuminibus locata.

Verum Assisii studiosi opinionem confirmant disticho *Astrologi* (Lib. Quarto Pseudopropertiano):

Scandentisque ARCIS consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo.

Pro *arcis*, quod Canterus restituit, codices dant *asis*, *assis*, *axis*, omnisque dubitatio cessat si *asis* pro Assisio accipies; majora enim glossarum facinora nos lyncei quique literatores adgredimur. Subditicium judicans *Astrologi* carmen, voculam *asis* sensu plane carentem non curo; tamen, hisce in praesentia omissis, dubium non est legendum esse *arcis;* quippe recte monuit Marklandus distichon nil aliud esse praeterquam jocosam palinodiam versuum 65 et 66 carminis *de Urbe Roma* (Lib. Quarto Pseudoprop.) ubi poeta gloriose cantaverat:

SCANDENTES si quis cernet de vallibus ARCES
Ingenio muros aestimet ille meos.

Astrologus iterat faceteque deridet magnifica praeconia; propterea quod *scandentes arces* vates, *scandentisque arcis* et ipse exclamat. Vocis corruptio posita est in oculis.

Inde fit ut de Hispelliensibus et Assisinis Mevanienses triumphent; sique lapidem terra et ruderibus effossum petas, suum

quoque Mevania praebebit. Quo in oppido Sex. Aurelium primos edidisse vagitus aliis asserere liceat; nobis, de ipsa rei veritate non plus nimio anxiis, sat erit Umbrum scire, natumque in oppido vel pago ignoti nominis haud longe Perusia [1].

Gens Aurelia antiquissima, in Cottas, Orestas et Scauros dividebatur, ad quas tamen illustres familias Propertius non pertinuit; imo Propertiorum familia, ipso dicente, neque avis neque divitiis fuerat clara:

> Aspice me, cui parva domi fortuna relicta est,
> Nullus et antiquo Marte triumphus avi. (Lib. Sec. El. XXIX.)
> Certus eras heu heu, quamvis nec sanguine avito
> Nobilis, et quamvis non ita dives eras. (Lib. Prim. El. XI.)

Majorem etiam habent significationem Tulli verba Propertium sciscitantis, *qualis et unde genus et qui sint* illi *penates*. Nobilis Romanus insolentis rogationis abstinuisset in eum qui avorum imaginibus decoratus fuisset; neque Propertius, ei respondens, diemque locumque natalem declarando, genus praetermisisset. Nihilo secius Vulpius: „*Conjectura esse videtur, majores ejus non claro solum, sed, si diis placet, regum Etruscorum sanguine generatos*," quia Servius in Virgilio Propertium quemdam Tuscorum regem nominat.

Patrem tenera aetate amisisse videtur [2]; mater obiit antequam

---

[1] Inscriptiones Assisinas edidit Gammurrinus in Historia Genealogica nobilium Tusciae et Umbriae familiarum. Florentiae 1668. Non difficile explicatu est, cur Assisii lapides extiterint Propertianorum nomina in fronte gerentes. Plinius ait Passennium Paullum a Propertio genus duxisse; Vulpius conjicit ejus matrem ex Aurelia familia ortam et in Passennios nuptam; Hertzbergius vero, adnitente veteri inscriptione, opinatur Propertium Blaesum, Sex. Aurelii nepotem, a C. Passennio adoptatum fuisse, et hunc Blaesum fuisse eundem poetam Passennium Paullum. Unum vel alterum verum finge: obvium erit Propertios commemorare inscriptiones Assisii, ubi adparet Passennios villam vel praedia habuisse. — Lapis mutilus prope Mevaniam inventus haec tantum verba servavit: PROPERTIA CUM . . .

[2] Pater creditur Sex. ille Propertius, cujus Cicero (vel Rhetor) in oratione

primum *Cynthiae* Librum ad finem perduceret; nam in XVI v. 21 de *carae custodia matris* loquitur; deinde in XXII, v. 15:

Ossa tibi juro per matris et ossa parentis.

Exardescentibus Perusinis cladibus, cognatum caesum habuit, quem in elegia XXXIV *propinquum* suum vocat. Nonnulli opinantur propinqui nomine patrem designavisse; sed metrum non excusabat ambiguam neque hoc sensu probatam vocem; praeterea El. XXXIII conjecturam explodit; ibi enim Gallus moriens, (qui idem esse videtur ac propinquus El. XXIII) commilitonem rogat, ut ad sororem perferat, se obtruncatum fuisse ignotis manibus ossaque sua per montes Etruscos dispersa jacere. Pater nuntium misisset uxori, non sorori suae, matri, non amitae Sex. Aurelii.

Quo anno Romam transierit, a quibus eruditus fuerit et Graecorum praesertim notitiam illam intimam arripuerit, non constat. Esquiliis habitavit, et quamquam non ita dives, de suo vivebat, tutaque praesidia vitae habuit. Forsitan Tibulli instar pauper erat, qui de se: *Me mea paupertas vitae traducat inerti;* cui vero Horatius: *Di tibi formam, Di tibi divitias dederant, artemque fruendi.* Praeter juvenum Romanorum consuetudinem ac morem militare noluit atque a magistratibus abstinuit. In Codicibus et priscis editionibus nauta appellatur; versu jam laudato pro *haud ita dives* inauspicatus scribae calamus posuit *nauta dives;* scilicet is qui tenue patrimonium fatetur, et maritimos cursus detestatur dejerans

At tu, saeve Aquilo, nunquam mea vela videbis,

maritimus homo factus fuit ultroque beatus! Mendum delerunt saeculo XV. I. Is. Pontanus et Philippus Beroaldus, de Propertio optime meriti.

---

de *Domo sua* meminit, Cap. 19 „Cum ille Ligus ... M. Papirii, sui fratris, esset testamento improbatus, mortem ejus se velle persequi dixit, nomen *Sex. Propertii* detulit.

Graecorum studiosissimus, prae caeteris Callimachum, Philetam et Mimnermum sectatus est; Tibullum attente legisse, interdum Catullum et saepe Horatium ante oculos habuisse, plura testantur, si quid video; epicum stilum, ponderosa poemata parvi faciebat. Puellis juvenibusque placere studebat:

Haec pueros urant, haec urant scripta puellas,
Meque deum clament et mihi sacra ferant.

Bassum et Ponticum, suos aequales, poetas quos Ovidius memorat, amicitia devinctos habuit, Ovidii familiaritate usus fuit. A majoribus neglectus, par pari retulit: coaevum nullum laudat aut nominat, ne Ovidium quidem sodalem, qui *Amores* et *Heroidas* jam edolabat; non Flaccum, non Tibullum, non Maronem; suppositus enim est panegyricus in Virgilium postremo carmini secundi Libri insertus.

Conjunctissime vixit cum Gallo quodam (non Cornelio poeta Aegyptique praefecto), cui dulcissimos inscripsit elegos, quemque nobili loco natum scimus, praeterea nihil. Tullum Vulcatium quoque summopere dilexit, Lucii Vulcatii Tulli, Consularis, nepotem. Hic militari munere in Asiam proficiscens poetam comitem rogat; Propertius Lesbiae et Neaerae cantores non imitatus, qui Memmium Messalamque erant secuti, respondet:

Multi longinquo periere in amore libenter,
In quorum numero me quoque terra tegat.
Non ego sum laudi, non natus idoneus armis:
Hanc me militiam fata subire volunt.

Nihil de se praeter amorum casus et insanias memoriae prodidit; semel tantum grave periculum sibi imminens innuit; quale non inquit: *Adspice me quanto rapiat fortuna periclo* (Lib. Prim. El. XXI, v. 3). Olim Praetor quidam ex Ilyria redux *subito suis regnis* potitur, ipse excluditur; venalem dominam, dolores furoresque suos ratus caeli mutatione et locorum intervallo contundere, navem conscendit, Athenas petiturus: tempestas oritur,

Romam redit, et primum Elegiarum librum vulgat. Graeciam idcirco non invisit.

Mox Maecenatis gratiam sibi conciliavit, optimis quibusque ingeniis faventis. An ab Augusto fuerit receptus, non liquet, quamquam illi saepenumero blanditur. Hoc certum est duo poemata ad Caesarem (Lib. Sec. XXV et XXVII) condita fuisse, dum Imperator in Asia per triennium commoratus fuit, bellum Parthis et Indis inlaturus (An. DCCXXXIII—V). Maecenas juvenem acerrimi ingenii ut graviora et heroica pertractaret hortabatur; Propertius se talibus officiis mancum excusabat:

Quid me scribendi tam vastum mittis in aequor?
Non sunt apta mea grandia vela rati.
Turpe est, quod nequeas, capiti committere pondus,
Et pressum inflexo mox dare terga genu. (Lib. Tert. IX.)

Argute tamen adjiciebat, leviora ingenii opera *locum* quoque *vindicare*.

Inter Callimachi sat erit placuisse libellos,
Et cecinisse modis, Eurypylita, tuis. (Loc. cit.)

Genio indulgens, de die desipiebat, Venere, conviviis, ludis gaudens, puellis et amicis versus recitans, teste Ovidio:

Saepe suos solitus recitare Propertius ignes,
Jure sodalitii qui mihi junctus erat. (Trist. IV, 10.)

Ejus desidiam, incogitantiam, dissolutos mores objurgabant cordati viri et continentiores familiares; quibus tetricis ille:

Ista senes licet accusent convivia duri:
Nos modo propositum, vita, teramus iter . . .
Una contentum pudeat me vivere amica?
Hoc si crimen erit, crimen Amoris erit. (Lib. Sec. El. XI.)

Hostiae ocellis captus, Hostii poetae proneptis, qui poema de Bello Histrico composuerat, eam ficto Cynthiae nomine, de Romanorum poetarum more, perpetuo celebravit, in cujus contubernio per quinque annos mansit [1]. Egregiam corporis formam, quam

[1] Cynthiae patria Tibur fuit, si spuriae elegiae *de Umbra Cynthiae* fides sit habenda. Eam Tibure rusticantem monstrat El. XVII Tertii Libri.

a natura erat sortita, ingenii ornamentis, quae arte paraverat, Cynthia cumulabat. Illa, integra aetate, cuilibet arti idonea, cantare, psallere, saltare, versus pangere, talos jacere, satis strenue et merace potare; hisce oblectamentis animos allicere, nutu suo amatores regere, dentibus saepe frendentes, se jugo exuere frustra nitentes. Vulpius Propertio avum regem Etruscum dono dederat; Weichertius pari munificentia Hostiam a Tullo Hostilio romanorum rege genus ducentem effecit. Broukhusius poetriam insignem praedicavit puellulam moeretque hujus carmina nobis fuisse intercepta, nomenque saltem nominibus Corinnae, Sapphonis, Sulpitiae insertum iri precatur. Quae qualisve fuerit, nullo negotio divinatur. Plinius Secundus in Historia Naturali Lib. XXXIII, Cap. 3, 12, armillas nescio quas describit, virias vel viriolas dictas, quae cum brachiis tum pedibus gestabantur ab ambiguo coetu, qui *inter stolam plebemque hunc medium feminarum equestrem ordinem facit.* Erat Cynthia nobiliori meretricum ordini adscripta. *Nuptae* dicebantur honoris causa, quum unius servitio essent subjectae; *vir* dicebatur, cujus quadra pro tempore vivebant. Innuptae nuptiae erant, de quibus vetus poeta apud Ciceronem loquitur. Romanarum pudicus ordo fortasse hodieque viget, tritaque materia nos ab eruditis enarrationibus immunes reddit. Vitia senum, juvenum inexperientia, divitum fastidia, inertium gloria uberem segetem metendam perpetuo pollicentur; nec leniter equestres metunt.

Propertius primae lanuginis annos agens, calidus juventa, ingenio excellens, per se ipse deamatus fuit; aurum vel gemmas dare non poterat, versus dabat: optimi quoque versus non nihili aestimabantur, quippe quibus clarior, indeque magis a praedivitibus petita, pulcherrima forma praedatrix extolleretur.

Non tamen ab ea primis Veneris sacris initiatus fuerat, ut ipse confitetur. (El. VI Lib. Tertii):

Ut mihi praetextae pudor est velatus amicus
Et data libertas noscere Amoris iter,
Illa rudes animos per noctes conscia primas
Imbuit, heu nullis capta Lycinna datis.
Tertius haud multo minus est cum ducitur annus:
Vix memini nobis verba coisse decem.

*Cuncta tuus sepelivit amor*, statim addit Cynthiam alloquens. Ita Sex. Aurelius post praetextam demissam, lubrica aetate, in retia Lycinnae incidit, citato pede haesurus in Cynthiae laqueis; hoc erit, duodevicesimo vel undevicesimo anno. Ipse nos certiores facit se abhinc triennium neptem Hostii deperire; elegia ad Tertium Librum pertinet; itaque patet duos primos exaratos fuisse tribus fere annis. In ultima Libri Tertii desinens fallaci et superba furere Propertius ait:

Quinque tibi potui servire fideliter annos;

ergo Tertius duobus annis perfectus fuit.

Verumtamen quinquennium interrupit annuum discidium:

Peccaram semel et totum sum pulsus in annum (El. XVII Lib. Tert.)

hinc duae sunt amorum divisiones. At quaeritur utrum in quinquennali computatione annus per quem amator pulsus fuit, omittendus sit, an computandus. Nonnulli omittendum censent; alii non solum annum illum, verum etiam biennium ante discidium praetermittendum contendunt; ita ut amores cum Cynthia non quinque, sed octo ferme annos duravissent. At amatores supputare non solent juxta severitatem artis arithmeticae, nec mihi unquam persuadebitur poetam, quia fideliter ait amavisse, e computatione subtraxisse duodecim menses, per quos insanitatem animi frustra in turpioribus voluptatibus sepelire tentaverat, spe reconciliationis non unquam abjecta. Ad prius biennium quod attinet, ars critica et naturae humanae notitia vel levissima subducendum vetant. Denique nemo inficiabitur lustrum neutiquam octo vel novem annos significare, etiamsi scripta verba veluti tortores pro arbitrio premamus. Amator qui perfidam amicam

fugit, indignanter ei longam fidamque servitutem objiciens, diuturnitatem exaggerat, non minuit. Caeterum in hoc amorum genere quinquennium satis superque longum est.

Propertius satis vixit, ut Tertium Librum proderet. Posthac unum tantummodo carmen illi pro certo tribuere licet, epicedium Corneliae scriptum anno DCCXXXVIII, ultra quem vitam produxisse non patet.

Ita ne obiit mature mortisque properantis vaticinia, quae passim in elegis offeruntur, confirmata fuerunt? [1] Illo fere anno excessisse Ovidiani loci probant, qui omnes Propertium jam diu fato functum ostendunt. Sed non erit abs re locum Plinii jam memoratum paullo diligentius expendere. „Passennius Paulus (legitur epis. 15, VI) [2] splendidus eques romanus et in primis eruditus, scribit elegos. Gentilicium hoc illi; est enim municeps Propertii, atque etiam inter majores suos Propertium numerat." Dein epis. 22, IX: „In literis veteres aemulatur, exprimit, reddit: Propertium in primis, a quo genus ducit, vera soboles, eoque simillima illi, in quo ille praecipuus." Vulpius *vera soboles, duxit genus a Propertio* intelligit feminam Aureliae familiae in Passennios nuptam; Hertzbergius explicat per adoptionem nepotis Propertii in Passenniorum familiam. Hertzbergii conjecturam commendare videtur inscriptio Assisii reperta et a Muratorio prolata:

C. Passennio
C. F. Serg
Paullo
Propertio
Blaeso.

---

[1] Si fides aliqua est habenda elegiae de Umbra Cynthiae, procul dubio conscriptae post Propertii mortem, Cynthia Sex. Aurelio praemortua fuisset, nec multo post poeta obiisset. „*Nunc te possideant aliae: mox sola tenebo: Mecum eris et mixtis ossibus ossa teram.*

[2] *Passennium* pro *Passieno*, ut vulgo legitur, emendandum esse recte docet Hertzbergius ex inscriptione mox citanda.

Propertius Blaesus igitur a C. Passennio adoptatus erit *splendidus eques romanus*, Plinii familiaris, qui veluti hereditario jure Sex. Aurelii avitam famam renovaverat. Itaque credendum foret poetam nostrum, abjectis Cynthiae vinculis, ad justas nuptias confugisse; dein patris nomine gavisus, in nidulo suo quieverat, et dum forte juvenile poeticum opus suum secundis curis expolit, vita emigravit. Talia non respuit subjecta chronologia Propertiana: num verba Plinii et inscriptio Assisii satis demonstrent, Critici videant. [1]

Propertius de se dixit:

> Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
> Itala per Grajos orgia ferre choros . . .
> . . . Me fama levat terra sublimis et a me
> Nata coronatis Musa triumphat equis.

Quibus si gloriari vellet se primum romanae elegiae parentem, nos Catullum et Tibullum, veteres, opinor, Calvum et Gallum quoque ei opponerent; sin tantum sibi vindicare latinae elegiae novos et insolitos modos, nemo abnuendum censebit: Propertio enim hujusmodi exempla imitanda latinae literae non dabant. Quae e Graeco fonte derivaverit, difficile nobis est dictu; certum sane est effigiem suam ita versibus insculpsisse, ut Musa a se nata in iis prorsus conspiciatur. Aculea et dicteria satyrae interdum jacit; nonnumquam robur et audaciam lyrici carminis attingit. Dramatica forma res et personas repraesentat redditque; impetus, cupidines, animi concitationes ita exprimit, ut in amatoriis affectibus explicandis, monente Beroaldo, facile sit praecipuus. Quod si diutius vixisset, a Callimacho et Phileta ingenii natura ad Pindarum et Alceum sensim revocatus, jam Flaccus in lyricis apud Romanos forte solus non extitisset. Est

---

[1] Verba elegiae de Umbra Cynthiae dubium reddunt hoc matrimonium. In hisce ingenii exercitationibus magistri et discipuli cum magnum virum commendare vel imitari studerent, imprimis ad historicam veritatem pro viribus respiciebant.

in eo stilus varius, acer, grandiloquus, figuris et tropis creber; suavitas quandoque desideratur et numerus. Reconditas eruditiones amat cum historicas tum mythicas; concisionem orationis sectatur; subinde hic et illic obscurus legentibus est; operosa enim sunt ejus carmina et poetabatur *apis Matinae More modoque grata carpentis thyma per laborem Plurimum*, ut diceret Venusinus. Quae omnia et translationes e longinquo quaesitae et juncturae studiosius involutae mollia forsan erant blandimenta puellae, quam doctam musarumque alumnam praedicat. In elegis quaedam voluptuosa occurrunt; perpauca obscena. Nullum ante *Cynthiam* apud Graecos vel Latinos poeticum opus laudatur, cujus *οἰκονομία* mentis ebrietates, tumultus et animi delirationes subjiciat in singulos dies descriptas, ita ut unum et continuum poema conficiant, servata in summa modorum varietate dramatis, quam vocant, unitate. Literis italicis multis post saeculis concessum fuit *Cynthiae* iure meritoque praeponere *Lauram*.

## II.

### DE PROPERTII CARMINIBUS.

*Cynthiam* tantum et *Corneliam* sine ulla dubitatione Propertio tribuere possumus. Unam *Cynthiam* cecinisse Nostrum Ovidius refert (*Rem. Am.* 763.)

> Carmina quis tuto potuit legisse Tibulli,
> Vel tua, cujus opus CYNTHIA sola fuit?

Id quoque apparere ex notis Martialis versiculis videtur (Lib. XIV, epig. 189):

> CYNTHIA facundi carmen juvenile Properti,
> Accepit famam, nec minus ipsa dedit.

Plinius ac Quintilianus nihil praeter amatorios elegos scripsisse

tradunt. Eadem de se poeta passim testatur. Animum ad graviora appellere primo liberior vita, deinde intempestiva mors prohibuerunt.

Liber secundus *Cynthiae* truncatus et discerptus ad nos pervenit; elegi quidam integri non sunt, quibusdam distichis pentameter excidit; interpolationes frequentes offendunt.

Fulgentius Grammaticus in voce *dividias* veluti Propertianum affert versum

Dividias mentis conficit omnis amor.

Rursus in voce *catillare:* Catillata *geris vadimonia, publicum prostibulum.* Sed obsoleta verba haec et gibberosa, versusque superior omnium consensu Sex. Aurelio non sunt adscribenda. Servius ad Georg. I, 19, notat: „Alii Triptolemum alii Osirim volunt (inventorem aratri) quod magis verum est, ut dicit *Propertius* vel *Tibullus.*" Commentator incertum se monstrat; sed dixerat hoc Tibullus Lib. I, 7:

Primus aratra manu solerti fecit Osiris
Et teneram ferro sollicitavit humum.

Idem Servius ad Eclogam V, uti Propertianum exhibet: *Testes sunt sidera nobis.* Memoria paullulum literatum fefellit, quod non raro contingit: Propertius scripserat: *Sidera sunt testes.* Lachmannus de *Arte Amatoria* nescio qua ariolatus est, quia in Ovidio legitur (*Trist.* II, 461): *Invenies eadem blanda praecepta Properti*, nempe *qua nuptae possint fallere ab arte viros.* Omnibus constat exulem Tomitanum in Secundo *Tristium* poetas universos amoris lenocinio adstringere, quum unus ipse peccati poenas daret. Aeneida, Iliada, Odysseam, Tragicos proscidit inque judicium vocat. Prae caeteris Propertius accusandus erat, quippe qui omni tempore Veneris signa prae Martis castris secutus sit doceatque quibusnam artibus feminarum repugnantiae sint expugnandae. Illi enim Calliope dixerat El. II, Lib. Tertii:

Quippe coronatos alienum ad limen amantes
Nocturnaeque canes ebria signa fugae,
Ut per te clausas sciat excantare puellas,
Qui volet austeros arte ferire viros.

Videtur tamen Romanas res gestas poemate exponere instituisse ad Ennii exemplar: *Unde pater sitiens Ennius ante bibit* (El. II, Lib. Tert.); at Phoebus:

Quid tibi cum tali, demens, est flumine? Quis te
Carminis heroi tangere jussit opus? . .
Alter remus aquas, alter tibi radat arenas.

Ideo grandioris operis consilium, si unquam serio fuit mente conceptum, abiit.

Operae nunc pretium erit quibus annis tres libri *Cynthiae* scripti atque editi fuerint, inquirere. Ad quam disputationem superiora nobis viam straverunt.

Praeter propter undevicesimo aetatis anno Propertius ad Cynthiam devenit, videlicet anno u. c. DCCXXXII. Amoris prima foedera in El. III Prim. inita describuntur aestivo tempore:

Tu quoque, qui aestivos spatiosius exigis ignes,
Phoebe, moraturae contrahe lucis iter.

Cum Tertium librum condidisset, jam fere per triennium Cynthiam deperibat. Quare primus et alter tribus annis facti emissique fuere. Versiculus ultimae ad Cynthiam *Quinque tibi potui servire fideliter annos* Tertium librum duobus annis ad finem perductum declarat.

Primus absolvitur Propertii discessu ab urbe post querelas de Praetore Ilyrico. Tempus ab amoris initio ad hoc usque discidium unius et dimidii anni spatium complecti evincitur e VII et XXVII Primi, quae Praetoris in Ilyrium profectionem et reditum in Urbem memorant. Annuum enim erat praetorium munus. Vix tradito Primo, quum ferox juvenis, amata domo interdictus, viles feminas sectaretur, neque oblimenta aegroto animo inveniret, Secundo manum admovit:

Vix unum potes infelix requiescere mensem
Et turpis de te jam liber alter erit.

Hic annuam exclusionem amorisque redintegrationem comprehendit, id est alterum et dimidium annum. Quibus positis consequitur Librum Primum prodiisse exeunte anno DCCXXXIII; Secundum DCCXXXV; Tertium, absolutum anno DCCXXXVII eodemque vel proxime sequenti publici juris factum fuisse.

Clades Perusinae (sub quod tempus Propertius nascitur), breves Lycinnae amores simulatque virilem togam sumit, deinde quinquennale cum Cynthia foedus tempora assignata luculenter confirmant. Alio quoque testimonio constant et certissimo fundamento nituntur. Justas nuptias, a quibus romana juventus jam ultimis reipublicae temporibus abhorrebat, Julius Caesar, praemiis propositis an. DCCVIII juvare voluerat. Simile aliquid Augustum an. DCCXXVI procurasse e Cornelio Tacito (Ann. III) comperimus, levioribus poenis fortasse additis. Crescente in dies matrimonii fuga, Imperator graviorem legem rogavit, quae a Senatu probata populi suffragia non tulit. Suetonius scribit: (*Octavius*, 34) „Legem de maritandis ordinibus, quum aliquanto „quam caeteras, severius emendasset, prae tumultu recusantium „perferre non potuit." Invisam legem *sublatam* Sex. Aurelius jucunde gratulatur:

At magnus Caesar!.. sed magnus Caesar in armis:
Devictae gentes nil in amore valent.
Nam citius paterer caput hoc discedere collo,
Quam possem nuptae prodere amore faces.

Brevi interjecto tempore Cynthiam deserit, objiciens lustricum servitium. Elegia *de maritandis* nos ad annum DCCXXXVI revocat, altera ad DCCXXXVII; ab hoc quinque deme, invenies anno DCCXXXII amores cum Cynthia initium cepisse. Hinc ratio temporum, quam innuebam, extra dubitationis aleam posita est.

Si quis aliter sentiat de anno natali aliterque accipiat *Perusina*

*sepulcra*, si *Tristium* versu fretus, Propertium credat Ovidio aetate antecessisse, lubitum ei sit temporis spatium a toga virili sumpta ad Lycinnae amores liberius intelligere, ita ut Noster ante Nasonem natus sit, velut anno DCCX, et Cynthiam celebrare ceperit anno aetatis suae tertio et vicesimo; coactam interpretationem Propertiana verba aegre patientur, patientur tamen: id solum firmum ratumque sit prima carmina non ante an. DCCXXXI composita, et librum Tertium non ante an. DCCXXXVII finitum fuisse. Hoc caput rei est.

Corneliae epicedium an. DCCXXXVIII conscriptum per se patet; nam Scipiadum filia hoc anno moritur, Consule renuntiato P. Cornelio Scipione fratre. Elegia quae puerum Marcellum aquis Bajanis absumptum deflevit (an. DCCXXXI) amatorios elegos antecedit; post Corneliae obitum Musa Propertiana silet. Initium et finem carminum ab immaturis fatis vates fecit, mox ipse quoque ante confectam aetatem vita cessurus.

In veteribus Codicibus primus liber inscribitur *Monobiblos*. Disputatum fuit utrum huic tantum titulus asservandus sit, an tribus qui veluti totum quoddam efficiunt, cujus Cynthia unum et perpetuum sit argumentum. Lipsius opinatur Quarto elegiarum libro convenire, non *Cynthiae;* Beroaldus existimat non Propertio, sed grammatico cuidam posterioris aetatis deberi. Tempus insolubilibus hisce in quaestiunculis, quae nil bonis literis conferunt, frustra conteritur; monebo tamen Latinos libris suis Graecos titulos saepius inscripsisse, ac Propertium libellum suum *Monobiblon* forsan dixisse, quandoquidem a Cynthia rejectus Cynthiam in posterum se nunquam celebraturum credebat. Pace renovata, additis altero et tertio, nomen permansit argumenti gratia. Codex Hamburgensis post ultimam elegiam Tertii habet: *Propertii Aurelii nautae Monobiblos liber III explicit.*

Qui ante annum DCCXIV natalem Propertii collocant (ne in testimonium elegiae de *Lycinna* veluti in scopulum allidant),

Primum et Secundum scriptos et vulgatos ajunt annis DCCXXV et DCCXXVII, Tertium ante DCCXXXI. Quibus positis Propertius ab an. DCCXXXI ad an. DCCXXXVIII nihil conscripsisset, maturiore ingenio florente; nam *Dierum* fragmenta quarti libri, si Propertiana forent, ante Librum Tertium condita fuisse elegia II Lib. Tertii probaret. Tam diuturnum poetae silentium incredibile sane videtur.

Lachmannus autem negat quidquam in Tertio occurrere quod posteriores annos spectet; qua in re miror doctum virum tam longe a solita diligentia secessisse. Etenim elegia XX *De Triumpho Augusti* ad annum DCCXXXIII vel ad initium subsequentis refertur, bellumque innuit quod tum adversus Parthos Imperator instaurabat. Elegia XXI et v. 46, 46: *Vos quibus arma Grata magis, Crassi signa referte domum*, annum DCCXXXIV indicant apertissime; quippe tum Phraates signa Crassi tradidit bellumque Augustus remisit. Cyziceni, ab Augusto libertate privati (El. XII Lib. Sec.) an. DCCXXXIV produnt. Denique elegia de maritandis annum DCCXXXVI certo designat.

Etsi tres tantummodo *Cynthiae* libros liceat Propertio pro certo assignare, Quartus elegiarum liber extat quae ejus nomine feruntur. Recte animadverterunt critici in iis (*Cornelia* excepta) quaedam Propertii ingenio minora esse; alia, quamvis afflatu et poetico spiritu non destituta, a nativa ejus dicendi venustate discedere. Barthius censet carmina Quarti libri variis temporibus composita, post mortem auctoris ab amicis edita esse; cui opitulatur Lachmannus scribens *ita ut in cera temere conjecta rudia quidem illa et indigesta . . . invenerant*, publicata fuisse.

Quartus liber nec rudis nec indigestus adparet, qui e contrario solertem curam studiumque intentum tradit. Inexpolita vel parum feliciter aut improprie dicta imbecilliorem ingenii aciem ostendunt, unde fit ut poeta plerumque excogitata alte et simpliciter significare perperam conetur. Stilus et elocutio modos

Propertianos imitantur, at meri non sunt, aliisque numeris versus regitur, neque eadem illa est ratio poetica. Propter quod a recepta sententia discedens suppositos quattuor elegos amatorios judico, ingenii exercitatione confictos, usurpato Propertii et Cynthiae nomine; fragmenta *Dierum*, perinde atque Astrologi et Arethusae elegias itidem opera judico non Propertiana, quorum tamen auctorem inquirere liceat.

Quomodocumque se res habet, Sex. Aurelii ingenium et laudem *Cynthia* et *Cornelia* unice probant. Quartus liber, si poetae famam non laedit, profecto non auget.

## III.

### DE HAC EDITIONE CYNTHIAE.

Ex iis quae superius disputata sunt, patet tria esse in Propertii amoribus tempora. Ubi primitus Cynthiam vidit, mirifico quodam telo percussus exclamat

Cuncta tuus sepelivit amor, nec femina post te
Ulla dedit collo dulcia vincla meo.

Sed vix erat voti compos (*una aut altera nox nondum est in amore peracta*) en angores, criminationes bellaque tristia continuo animi conjunctionem perturbant; jamque puella Praetorem Ilyrium petentem comitari paratur; precibus tamen amatoris victa Romae manet. Paullo post morbo corripitur; salute recepta novae fallaciae, breves inimicitiae, induciae et paces succedunt. At Praetor, anno muneris in Illyria peracto, Italiam appellit, Romam redit; tum Cynthia hujus vota non moratur: *cubatur Candida tam foedo brachia fusa viro.* Propertius dolere, se macerare ac ringi, barbarum virum, venalem feminam carminibus proscindere. Excluditur: magnae turbae: demens foedifragam, rivalem et semetipsum jugulare minitatur, coelum et

terram miscet. Sedatur paullisper; obfirmato judicio, navem conscendit, Athenas navigat; sed procella adorta, fracta carina domum revertitur primumque *Cynthiae* librum evulgat.

Ad pactionem veniunt, anno vertente post discessionem. Rursusque frigora, irae, dolorum suspiciones subeunt, quibus indoles et ars Cynthiae copiosa pabula praebent. Verumtamen gloria nominis ejus jam emicuit, carmina sunt in ora juvenum; celebrescit, Maecenati est gratus, quumque *Cynthiae* Secundum emitteret, Pontico sodali scribit:

Adspice me cui parva domi fortuna relicta est,
  Nullus et antiquo Marte triumphus avi,
Ut regnem mixtas inter conviva puellas
  Hoc ego quo tibi nunc elevor, ingenio.

Secundo libro continentur amatoriae febris decessiones et accessiones vel in discidio pertinaces, probra in feminas pudicitiam mentientes, vesanientis deliria, renovatio amorum laudesque Maecenatis et Augusti.

In Tertio amor qui triennium perstiterat, non amplius infremit aut tumultuatur: *non me crimina parva movent*, ait. Rerum usum et praeteritam juventutem graviter enuntiat, annum quartum et vicesimum agens: *Cynthia me docuit.* Amatrix non est omne carminis argumentum; majora, insolitum poeseos genus tentat, licet Maecenati ad heroicas musas incitanti respondeat: *Non sunt apta meae grandia vela rati;* eique Calliope sonet:

Contentus niveis semper vectabere cycnis,
  Nec te fortis equi ducet ad arma sonus.

Nihilosecius amantium jurgia quondam acriora renovantur; tum poeta quinquennali servitio defatigatus Cynthiae valedicit:

Nunc demum vasto fessi resipiscimus aestu,
  Vulneraque ad sanum nunc coïere mea.
Mens bona, si qua dea es, tua me in sacraria condo.

Simplex haec summa librorum divisionem indicat, tribus

amorum temporibus respondentem, atque lucidae facis instar carminum ordinem et seriem chronologicam illustrat. Verum si libros manu scriptos vel typis excussos jam attendas, omnia perversa reperies, nulla psychologica connexione. Exinde naturalis singularisque poematis unitas, in varietate mirabilis, laesa est, affectuum et cupidinum pictura obumbratur, poetica voluptas, quam rerum veritas perfundit, vix primoribus labris gustatur.

Sunt qui Propertium indigestae dispositionis auctorem volunt. Id artis poeticae dictamina refellunt; tamen concedendum esset, quando tres libri eodem tempore conjunctimque editi fuissent; sed singillatim, seorsim, tempore interjecto vulgatos novimus; ergo absurdum elegos, puta, post discessionem factos primo libro ab auctore insertos credere. Sed praepostera, non Propertiana distributio aliis causis clarissime ostenditur. Propertius in Secundo Codicum, de proximo obitu suo vaticinans, vult tribus *Cynthiae* libris funera ornari. Quis dubitaverit, amabo, carmen ad Tertium pertinere et poetam in Tertium, non in Secundum contulisse? Lachmannus nodum secans quem expedire noluit, tres libros in quattuor divisit, inque quartum suum rebellantem elegiam conjecit. Nova divisio apud Germanos invaluit, nunc philologicae eruditionis primas tenentes, illamque Keilii editio, in minuta Teubnerii collectione recepta, vulgat. Attamen non solum pro arbitrio constituta est, sed refragantibus rerum vicibus, quarum historiam *Cynthia* narrat. Utinam Lachmannus studium suum in hoc navasset, ut legitimum in ordinem carmina digereret! eo quo pollebat ingenio summaque doctrina, rem omnibus numeris absolutam perfecisset nominisque auctoritate confirmatam.

Hoc ego labore pro virium tenuitate suscepto, temporum et factorum successioni, veluti inconcussis fundamentis, institi et hoc praesertim modo in scopulos non ablatum iri confidebam; nam quae mihi opponi poterunt, adjuncta tantummodo spectabunt,

sive collocationem unius vel alterius carminis in eodem libro, non autem transpositionem ex uno in alterum.

Nunc si quis forte requirat, quibusnam casibus et rerum discriminibus jactata, prima et sincera editio Propertiana, ab Ovidio, Martiale, Plinio ac Quintiliano lecta, ad miseranda quae cernimus fata, devenerit, iste gravissima incommoda perpendat, quibus obnoxia erat librorum repetitio manu scripta, cogitet praesertim tenebrosa atque humanitati infensissima saecula ante literarum renovationem exacta, rerum conversiones, bibliothecarum clades, librorum aerumnas.

Medio aevo in quodam monasterio discerpta et avulsa folia veteris codicis pessumdati exstabant; ea in unum redigere et disponere sententiis suadentibus (folia enim MSS. non numerabantur), deinde transcribere bonus monachus patienter incipit, Musarum amore permotus. Nil mirum, politiorum artium auxiliis deficientibus, hodie affluentibus, tum nullis, bene meritum virum *disjecta membra poetae* pie colligentem, Propertium ab excidio salvandum ante omnia curavisse, minusque temporum gradus, carminum et rerum cohaerentiam prosecutum vel assecutum fuisse. Quo saeculo prima haec transcriptio facta fuerit, ne conjectura quidem assignari licet: id certum est omnium qui supersunt, antiquissimum Codicem (Neapolitanum) exaratum fuisse saeculo p. Chr. XIV, tercentis et mille annis post Propertii mortem. Neque Codicem Archetypum habemus, sed ab alio exemplo ductum quod saepenumero scriba enucleare nescit. Quapropter lectorem ne fugiat nos in venerandum aurei saeculi monumentum temerarias et sacrilegas manus non inferre, verum e ruderibus olim jacentibus, dein coacervatim collatis, pristinum aedificium instaurare voluisse: vel potius nos ex apographo deterioris aevi, multo proprius ad nostram quam ad Propertianam aetatem accedentis, primigeniam sinceramque editionem, temporum et rerum ductu, exquirere et divinare.

Caeteroquin librorum divisio vulgata non illa quidem est, quam Codex Neapolitanus dat. In Neapolitano finis ab initio librorum distinguitur interposito spatio; editiones omnes impressae primum librum absolvunt elegidio Ad Tullum *Qualis et unde genus;* Neapolitanus nullum ibi spatium interponit; relinquit autem post X Secundi edd. vulgg. (XX Lib. Prim. *Iste quod est ego fui*).

In Codice Groningano, vetustate secundo, idem accidit. Groninganus singula carmina brevi spatio relicto disjungit, majore singulos libros. Perinde ac Neapolitanus Primum a Secundo non separat ad elegiam *Ad Tullum*, sed manu recentiore ibi rubra lineola ducta fuit, adjectis verbis: *Finis primi libri prop. nav. in. secundus.* En interpolatorem flagranti crimine comprehensum. Groninganus quinquaginta et centum circiter annis post Neapolitanum descriptus fuit; huic doctus vir vel librarius divisionem suam inseruit, monitus versu: *Et turpi de te jam liber alter erit* elegiae VII Lib. Sec. (II Codd.): *Qui nullam tibi dicebas.* Animadverterat enim sententiae repugnantiam cum distributione a membranis servata; lubitu suo emendavit. Neque eum forte praeteriit repugnantia elegiae XII Secundi: *Sat mea, sat magna est, si tres sint pompa libelli;* sed medela haud ita facilis parabatur, neque ausus fuit tres in quattuor libros lancinare.

Incognitus *Cynthiae* restitutor, de quo conjectando disserimus, foliis discissis et laceratis incumbens, pro viribus et ingenio elegorum fragmenta quae inveniebat, ita conjunxit, ut absolutum carmen efficerent. In hoc tamen non semel haesit, nec semper distichorum ordinem sincerum vidit, aliquando non recte coeuntia conglutinavit, interdum et discrepantia. Extabant carmina, quorum modo initium modo finis desiderabatur, quippe folium vel folii pars versus comprehendens perierat; tum novi exemplaris instructor versiculos errantes transcripsit post reliquos, ita ut numero versuum elegia compleri videretur; eo contentus non

usque quaesivit sollicite utrum sententiae liquide fluerent an minus, dummodo hostiliter inter se dimicare non viderentur. Non infrequens carminum incohaerentia caecis quoque, ut ajunt, clara est; caecutientes autem veterum laudatores et haec vitia fastidiose laudant, fervidam et mobilissimam poetae imaginationem praedicando hic illuc impulsam ac tumultuarie discurrentem, illosque plane miseret tenuium ingeniorum, quae turbidas et molestas istiusmodi divagationes non admirantur; quasi liberiores lyrici modi, rapidae transitiones et commenta prima specie divergentia, interiori et quae dignosci possit conjunctione non sint moderata, si accurate perpendas.

Josephus Scaliger saeculo XVI, qua erat sagacitate, *Cynthiae* perturbationem viderat, atque in eam audacter medicas manus admovit. Scaligeranus contextus amplissimis honoribus apud coaevos decoratus per duo ferme saecula invaluit; verumtamen de via summus vir discesserat, et in hoc praesertim erravit, quod existimabat multa esse in Propertio conjungenda, quum contra separanda essent plura. Hinc longissimas libri secundi elegias instruxit, contra Nostri morem, qui intra triginta et quinquaginta versus se continet, neque hanc mensuram excessit, nisi ter in Tertio. Labitur quoque Hypercriticus existimans elegos omnes ad nos pervenisse integros; itaque cunctis erraticis versibus idoneam sedem esse quaerendam et assignandam. Quare Antonius Vulpius superiori saeculo Sex. Aurelio bonam operam tulit *Cynthiam* ad pristinam Codicum fidem revocans. Sed plus Carolo Lachmanno acceptum est referendum, qui non solum verborum emendationem persecutus est, sed lacunas atque distichorum confusionem acute saepenumero notavit.

Nihilominus quum Scaliger, licet a recto tramite deflectens, ad restituendam *Cynthiam* iter ostendisset, equidem demiror neminem post illum ad hoc tempus stadium denuo cucurrisse feliciore omine; quin piget aetate nostra barbaras membranas inani

quodam cultu venerari, criminisque maximi facinoris insimulari, si quis foedas sordes eluat scribarum imperitiam redolentes. Codicum observantia in superstitionem desinit et calamitati esse solet, nisi ab arte critica callide regitur. Sacrum et inviolatum habere quod absonum et contra rationem est, non magis scitum videtur in literis, quam in republica aut in religione; idque nullum negaturum censeo, cui nascenti Musarum *Candidus argutus sternuit omen Amor.*

Ausus deserere manuscripta vestigia, in opere sane implicato nec cursim perficiendo paululum auxilii a decessoribus derivavi, quoad carminum redintegrationem, versuumque ordinem restituendum; maximum vero in verborum emendatione. Nempe delectus et multiplex eruditorum chorus a Domitio Calderino et Philippo Beroaldo ad Fridericum usque Jacobium et Guilielmum Hertzbergium in insolentioribus vitiis delendis diligentes curas impendit. Pleraque tamen immania portenta in vulgatis editionibus intacta manent, dum correctiones ingeniosae et persaepe verissimae in notarum farragine desidiose latent. [1] Has in contextum traduxi, neque meas protuli, nisi quando loci expolitio aliter persuadebat; pluries tamen quam vellem emendavi, hoc consilio usus ut omnia sanata legerentur, quae absurdam sententiam, vel eam redderent, quam Propertius vel qualiscumque minor poeta repudiaret. Religiose autem ab aliis mutuata indicavi,

---

[1] In manibus quoque habui praeclaras emendationes, quas Petrus Fonteinius inscripsit margini exemplaris Propertii Broukhusiani, quod est in Bibliotheca ecclesiae Teleiobaptistarum Amstelodamensis. Librum humanitate J. C. G. Booti inspiciendum obtinui. Atque hic clarissimo et doctissimo viro, qui in latinis literis antiquam Batavorum gloriam asserit, gratum animum meum testatum volo (nil enim aliud queo) ob eximiam voluntatem et benevolentiam, qua studia mea Propertiana adjuvit. Data occasione gratias aeque agam Guilielmo Holtropio, nuper Regiae Haganae Bibliothecae Praefecto, erudito eidemque amicissimo meo, qui veteres editiones Propertianas aliaque literaria praesidia ultro mihi patienterque concessit.

nullumque debita prioris inventionis laude sciens fraudavi. Loca infra solitam elegantiam vel numeris asperiora non sollicitavi, quia talibus indulgendo mutationum copia nullo limite coerceretur. Emendationibus lectionem Neapolitani et Groningani adjeci; vexatissimis et fere desperatis versibus varias caeterorum Codicum lectiones et doctorum molimina addidi.

Versus subditicios in Propertio itidem atque in aliis latinis saepe occurrentes e contextu in notas transtuli. Quae interpolationes in Nostro ipsae se denuntiant; ineptissimae enim sunt, et centones non a Romanis Grammaticis, ut in Horatio, sed ab hordeariis versificatoribus crassioris aevi fabricati.

Enarrationem Propertianam non adsumsi, itaque obscuriora perraro illustravi, et tunc tantum cum a communi recepta sententia recessissem, vel quum interpretes graviores in diversas partes abirent.

Interpunctionem in MSS. et veteribus editionibus ad aetatem usque nostram nulla constanti regula moderatam ex ingenio constitui, secutus tamen recentiorum vestigia. Legentem admonui, quoties interpunctio mea vulgatae lectionis sententiam innovaret. Singulis elegis titulos praefixi, non a Propertio neque ab antiquis Grammaticis inventos, sed ab Italis, opinor, saeculi XV. Nonnullos mutavi.

## IV.

### DE QUARTO LIBRO PSEUDOPROPERTIANO.

Praeter *Cynthiam* et *Corneliam* nihil Propertio esse concedendum dixi et falso Quartum librum ad eum referri. Antequam argumenta subjiciam e carminibus suppositis deprompta, pauca monebo de epicedio Corneliae huic quoque libro inserto. Elegia qua suprema Scriboniae filiae deflentur, maturum consummatumque poetam prodit; mollior versuum structura, excultior pentametri incessus elimatiorem artem fatentur, cujus tamen in Marcelli

et Paeti epitaphiis jam exemplum praebuerat. Putes numerosam et suavem formam in moestis tantum elegis poetae placuisse; in ardentium cupidinum pictura asperiorem vel minus blandam maluisse. Poetica ratio aeque ac conspectus temporum Propertianum declarant carmen, quod Romanae elegiae regina cum L. C. Valckenario recte appellatur.

Quartus liber continet, praeter *Corneliam:* I quattuor elegos amatorios; II sex fragmenta alicujus poematis *Dierum;* III elegiam *Astrologi;* IV Epistolam *Arethusae* ad Lycoten. Elegi amatorii sunt: *de Dracone Lanuvii*, *Cynthiae rixa*, *In Lenam*, *Umbra Cynthiae.*

Draco Lanuvii nil aliud est quam principium elegiae deperditae, quod perperam in Codicibus cum *Cynthiae rixa* conjungitur. Obscuritates, locutiones invenustae et coactae statuere jubent Propertium versiculos non fecisse, vel inconsulto egisse amicos, qui haec incondita in lucem miserunt.

*Rixa* ad Propertianum genus magis accedit; sed facta repraesentata Cynthiam quam novimus, dedecent; quae neutiquam, puto, lectum adscendisset ad duas vulgares meretriculas accipiendas paratum. Illegitimam vero paternitatem dilucide probat Lygdamus convivalia pocula ministrans: *Lygdamus ad cyathos.* Lygdamum fuisse Cynthiae servum constat ex Elegia V libri tertii: *Sic tibi sint dominae*, *Lygdame*, *demta juga.* Cur et quomodo hic adparet Propertii voluptatum arcanus adjutor? Versificatorem nominis servi meminit, non domini. Obliviscitur etiam Sex. Aurelium *in quattuordecim non sedisse*, equitem non fuisse; qua de causa Cynthia, jura pacis dicendo, eum non admonuisset: *Colla* (*cave*) *inflectas ad summum obliqua theatrum.* Augustus veterem spectandi morem lege Roscia statutum novo patrum decreto sanxerat: locarii hominem loco indignum excitavissent. [1]

[1] Suetonius (*Octavius* 44) Orchestra séu primus subselliorum ordo vacabat Senatoribus; quattuordecim proximi gradus equitibus; reliqua superiora loca populo

Acanthis lena, unum et idem est carmen ac Diaspes Ovidii (*Am.* VIII Lib. I); simili sunt factae argumento, simili inventione, quamvis dissimili oratione et stilo; Terentius diceret: „Qui utramvis recte norit, ambas norit." Quisnam fuit imitator? Non Ovidius qui maximam *Amorum* partem scripsit ante obitum Sex. Aurelii; non Propertius, credo, qui furaces manus in parvam sodalis sarcinam inhoneste non intulisset. Neque in toto carmine Cynthiae nomen legitur. Spuriam tenebit elegiam qui animadverterit Cynthiam, equestris cohortis principem, putidae aniculae non indiguisse ministerio; nec Propertius vel in summis irarum vehementiis turpissimum istud vitae convicium usquam in illam contulit.

Ad laudatam *Cynthiae Umbram* devenio. Haec tantum teneris affectibus adversatur qui pinguntur veris in elegis, adeo porro ingratum et ferum animum exprimit, ut affirmandum sit Propertium talia haud conscripsisse deamatae cineribus adhuc calentibus. Amator iste tantum abest ut mortem tulerit graviter, ut puellam ultimo morbo absumtam non inviseret, funus non curaret, non lacrimis aspergeret; quid? quod domi vilem feminam retinet, quae lucri cupiditate imaginem extinctae auream flando liquefacit, sciente et sinente amatore. Falsae Cynthiae parentes et amici desunt; vera matrem et sororem habebat; si praemortuae fuissent, an magis magisque perfidum insectata fuisset, qui morientem et solam deseruisset? Denique devium scortum foetidis Suburrae immunditiis se miscens, quod fateri non pudet: *Saepe Venus trivio commissa et pectore mixto Fecerunt tepidas pallia nostra vias*, nequaquam erit culta et compta, sin casta a Sex. Aurelio celebrata. Praetereo aquas Stygias, per quas diversa rate navigant piorum et impiorum umbrae contra fabulas, contra id quod elegia Marcelli monet.

---

patebant. Feminae vero in summo quoque theatro sedebant. Ergo popularibus ad puellas spectandas collum non erat inflectendum.

Quid multa? quattuor amatorii elegi subditicii sunt. In iis quaedam poetice dicta placent, pauca orationis ornatu nitent; personatus auctor patienter illa caelavit, Propertii et Ovidii margaritas in usum suum convertens et calamistris inurens satis ingeniose, quae trivialibus sententiis non includeret.

Elegi *De Urbe Roma*, *Vertumno*, *Tarpeja*, *Morte Herculis*, *Jove Feretrio*, *pugna Actiaca* omnium consensu episodia et fragmenta poematis habentur, in quo auctor Fastos et religionis Latinorum traditiones canere instituerat. Qualis inventio fuerit, quae series et ordo, conjectura assequitur. Ovidiana vestigia premebat, illudque allaborabat, ut narrationem variam, delectabilem magisque, paene dixi, quam Ovidii dramaticam faceret. Nunc quo pacto Propertius tanti ponderis operi manum admovisset (*Sacra diesque canam*) nulla facta cum familiaribus communicatione? Si autem post ejus mortem amici ediderunt fragmenta, quaeritur quo modo Naso scripsisset *Cynthiam* unum esse Propertii opus? Anne in Fastis sedulo dissimulasset Umbrum idem antea argumentum attigisse, sed morte poema fuisse intermissum? Ovidius primae inventionis laudem sodali non detraxisset, Ovidius qui non semel Propertium commemorat, qui sine invidia viventibus et mortuis assurgit, nominaque nobis tradidit poetarum minorum nullis aliorum testimoniis nota. Quodsi verum adulteratus esset, inter caeteros qui utriusque meminerunt, aliquis lividum silentium emendans suum Propertio honorem restituisset.

Accedit aliud. Propertius in heroico poemate se ingenium olim periclitatum fuisse testatur. *Visus eram*, ait,

> Reges, Alba tuos et regum facta tuorum
> Tantum operis nervis hiscere posse meis;
> Parvaque tam magnis admoram fontibus ora,
> Unde pater sitiens Ennius ante bibit,
> Et cecini Curios etc.

Tale erat poematis Propertiani consilium. Quale est *Dierum?*

Roma fave, tibi surgit opus: date candida, cives,
Omina et inceptis dextera cantet avis.
Sacra diesque canam et cognomina prisca locorum.

*Sacra*, *dies*, *cognomina locorum* non respondent rebus Romanorum gestis ab Ennio versibus descriptis, quas rursum Propertius carmine narrare cogitaverat; cunctaque fragmenta Pseudopropertiana non historica, sed mythologica et sacra sunt, ne Actiaca quidem pugna excepta. Praeterea Noster Ennium patrem invocaverat, contra auctor *Dierum* v. 61: *Ennius hirsuta cingat mea dicta corona: Mi folia ex edera porrige*, *Bacche*, *tua.*

Objectiones et dubitationes multiplicantur si interius carminum rationem perscrutamur. Non secus ac in eroticis, in heroicis distichis ingenii vena est non obscura, locutio plerumque et Latinitas eminent, aevique Augusti imaginem referunt. At stilus, si cum Propertiano confertur, non idem amplius est. Factorum pictura in *Jove Feretrio* et *Morte Herculis* a Propertii modis dissidet, quippe Sex. Aurelius nos in medias res rapit, adjuncta praeterit, rem summam depingit, ornat, elevat, uti manifestum est in *Cleopatra* et *Antiope* (VI et XIII Lib. Tert.); auctor vero *Dierum* facta narrat historica diligentia, observata ratione temporum. Ad haec *Juppiter Feretrius* ita languet exilis et jejunus, ut hoc solo nomine dubitandum esset de ejus auctore vulgato. Rapidior, vividior incedit *Tarpeja;* alacris, lepidus *Vertumnus;* sed in his duobus praesertim elegis *Cynthiae* numeros frustra quaerimus; rythmus Ovidianus in auribus blande susurrat. Longe praestat impetuque lyrico flagrat carmen de *Urbe Roma*, sed licenter poeta a sui aequalibus mutuatur colores, imagines, phrases, hemistichia. Videat lector:

Pseudo **Prop.** . . . . *Dicam: Troia cades, et Troica Roma resurges.*
**Ovidius** Fast. I . . Victa tamen vinces, eversaque Troia resurges.
Pseudo **Prop.** . . . . *Et maris et terrae longa pericla canam.*
**Prop.** II, 28. . . . Et maris et terrae caeca pericla viae.
Pseudo **Prop.** . . . . *Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro.*
**Ovid** Art. Am. I . Tunc neque marmoreo pendebant vela theatro.

Pseudo **Prop**. . . . . *Pulpita solemnes non oluere crocos.*
**Ovid**. Art. am. I. . Nec fuerant liquido pulpita rubra croco.
Pseudo **Prop**. . . . . *Vesta coronatis pauper gaudebat asellis*
**Ovid**. Fast. 6. . . . Ecce coronatis Panis dependet asellis.
Pseudo **Prop**. . . . . *Curia praetexto quae nunc nitet alta senatu,*
*Pellitos habuit rustica corda patres.*
**Ovid**. Art. am. III . Curia, concilio quae nunc dignissima tanto est,
De stipula, Tatio regna tenente, fuit.
Pseudo **Prop**. . . . . *Quattuor hinc albos Romulus egit equos.*
**Ovid**. Art. am. I. . Quattuor in niveis aureus ibis equis.
Pseudo **Prop** . . . . *Quippe suburbanae parva minus urbe Bovillae.*
**Ovid**. Fast. 3. . . . Orta suburbanis quaedam fuit Anna Bovillis.
Pseudo **Prop**. . . . . *Has meus ad metas sudet oportet equus.*
**Ovid**. Fast. II . . . Inque suo noster pulvere currat equus.
Pseudo **Prop** . . . . *Hoc, quodcumque vides, hospes, qua maxima Roma est,*
*Ante Phrygem Aenean collis et herba fuit.*
*Atque ubi Navali stant sacra palatia Phoebo,*
*Evandri profugae concubuere boves.*
*Fictilibus crevere Deis haec aurea templa,*
*Nec fuit opprobrio facta sine arte casa;*
*Tarpeiusque pater nuda de rupe tonabat,*
*Et Tiberis nostris advena bubus erat* . . . . .
**Ovid**. Fast. I. . . . Dum casa Martigenum capiebat parva Quirinum,
Et dabat exiguum fluminis ulva torum,
Iuppiter angusta vix totus stabat in aede
Inque Iovis dextra fictile fulmen erat . . . . .
Hic ubi nunc Roma est, incaedua silva virebat,
Tantaque res paucis pascua bubus erat.
Arx mea collis erat . . . . .
Id. Id. V. . . . Hic, ubi nunc Roma est orbis caput, arbor et herbae,
Et paucae pecudes, et casa rara fuit.
Id. Id. II. . . . Qua petit aequoreas advena Tibris aquas.
Id. Art am. 3 . Quae nunc sub Phoebo, ducibusque palatia fulgent.
Quid nisi araturis pascua bubus erant?
Pseudo **Prop**. . . . . *Vertite equum Danai! male vincitis: Ilia tellus*
*Vivet et huic cineri Iuppiter arma dabit.*
**Ovid**. Fast. I. . . . Urite victrices Neptunia Pergama flammae:
Num minus hic toto est altior orbe cinis.

Quae omnia in uno carmine nobis se offerunt, quod septuaginta versibus completur. Neque musivuum opus Sulmoniis lapillis compositum poetae crimini vertam, sed nego eiusmodi pannis poeticam Propertii vestem consutam esse. Imitationes in reliquis fragmentis haud minus crebras nunc proferre longum sane et molestum lectoribus accideret, nimisque commentarii notulas onerasset.

Alia porro invenimus Propertio nequaquam convenientia. Hic graecam fabulam scitissime didicerat citraque necessitatem hujusmodi eruditiones interdum ostentans, graecas cum latinis traditionibus non confunderet, nec in narrando memoriae vitio laberetur. At in VII Secundi Hercules moritur in jugis Oetaeis ad caelestis Hebes amplexum sublatus; in fragmentis conditor Arae Maximae occidit in Latio. Ferunt Mythologi binas fuisse Scyllas: altera, Nisi filia, paternum capillum quum rececuisset Minoi amoris causa, in mare projecta, deinde in avem mutata fuit. Altera, Phorci filia, a Glauco amata, Circes invidia pube tenus mutata est in canes latrantes. Ovidius et Virgilius (si mendum non latet in *Scyllam Nisi* Ecg. VI, v. 74) duas Scyllas confundunt; non autem Propertius, qui in XIX Tertii: *Tuque, o Minoa venumdata, Scylla, figura* etc. *At vos innuptae, felicius urite taedas: Pendet Cretea tracta puella rate.* Fragmentorum auctor Scyllam Nisi a Scylla Phorci non distinguit et canes latrantes Nisi filiae tribuit (V. *Tarpejam*)

Quid mirum in patrios Scyllam saevisse capillos?
Candidaque in saevas inguina versa canes?

Cui non notus Cacus ille *Aventinae timor atque infamia silvae? Dierum* scriptor tribus cervicibus furem veluti novum Geryonem coronat (V. *Mortem Herculis*): *Maenalio jacuit pulsus tria tempora ramo.*

Unde jam illud efficitur in fragmentis *Dierum* ingenium in rebus inveniendis minus fecundum spectari, atque poetam non

in Graecos, praesertim non in Callimachum [1] defixum, sed in Ovidium et Fastos praecipue fuisse.

Idem judicandum erit de Epistola Arethusae, Heroidum imitatione, cujus commentum ductum videtur ex elegia XIV Tertii, in qua Propertius derelictae Gallae Postumum arguit. Ubi hocce poeseos genus Noster tentare voluisset, formam novam et suam illi dedisset, nec tam moleste Ovidii vestigia pressisset.

Elegia *Astrologi* ultima nos manet. Fragmentum *De Urbe Roma* consilium *Dierum* indicat:

> Sacra diesque canam et cognomina prisca locorum:
> Has meus ad metas sudet oportet equus.

Hic de impoviso carmen truncatur: eccum Horus quidam Astrologus velut deus e machina adest, et dicit:

> Quo ruis imprudens, vage, dicere fata, Properti?
> Non sunt ah dextro condita fila colo.
> Aversis Musis cantas, aversus Apollo:
> Poscitur invita verba pigenda lyra.

Interpretes quattuor subitarios versus explicaverunt veluti solemne interdictum ne poeta prosequeretur *Dies*. Nulla tamen logica cohaerentia inter edictum est sequentemque genealogiam Hori; neque Critici satis cogitarunt verba *at tu finge elegos*, *fallax opus*, *haec tua castra*, quae leguntur sexaginta versibus interjectis, respicere versum proxime superiorem: *Et vetat insano verba tonare foro;* itaque poematis scriptionem minime exprobrare, sed poetam hortari ut Musis, non foro vacaret. Quattuor versus laudati mera sunt et inconcinna interpolatio. Mihi fit verosimile nebulonem carmina *De Urbe Roma* et *Astrologo* in exemplari suo invenisse nullo spatio divisa; quum vellet unum carmen efficere, sed transitionem volatumque plus quam Pindaricum jure despiceret, duo disticha exstruxit quasi gradum vel

---

[1] Docti Germani ajunt in fragmentis poetam imitatum fuisse deperditum Callimachi carmen, cui *αἴτια* nomen fuit.

pontem ab uno ad alterum; Propertium nominavit, quia Propertiana habebat carmina. Ut istorum mos erat, non e penu sua sententias et verba derivavit, sed ex alienis agris segetem procuravit; nam Phoebus Sex. Aurelio aurem vellens intonuerat:

Non hic ulla tibi speranda est fama, Properti,
Non est ingenii cymba gravanda tui;

atque Ovidius scripserat (*Fast.* V)

Aversis utinam tetigissem carmina Musis.

*Dierum* auctor in Umbria natus erat, adjuncta quaedam Propertio prima fronte conveniunt. Dictum acceptumque fuit aretalogum ejus vitam narravisse. Accuratior investigatio contrarium probat. Propertium et ardelionem loquentes audire videor. Divinus praeterita et futura noscens infit:

Umbria te notis antiqua Penatibus edit:
Mentior? an patriae tangitur ora tuae?

Propertius olli subridens: probe inquis; scripsi in libello:

Proxima supposito contingens Umbria campo
Me genuit, terris fertilis uberibus.

Divinator prosequitur:

Mox, ubi bulla rudi demissa est aurea collo,
Matris et ante Deos libera sumpta toga...

Cui Sex. Aurelius: Hem, resiste, cedo. Scorteam, memini bene, bullam gestavi, Tarquinio Prisco jubente. *Notos penates* dixistin? *Nec sanguine avito Nobilis* sum, *Nullus et antiquo Marte triumphus avi* a populo me secernit.

Surdo canit, Babylonius instat:

Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo
Et vetat insano verba tonare foro.

Tum poeta: Quid? somniasne? forum non novi, causidicorum conventus nunquam frequentavi . . .

Ariolator non cessat pergitque:

Nam tibi victrices, quascumque labore parasti,
Eludet palmas una puella tuas.

Hic tandem Propertius: Sic Dii me ament, ut insanit homo! Palmas

victrices labore paravi? Di boni, a parvulo Musas, amicam, convivia sine missione lusi: *Aspice me cui parva domi fortuna relicta est... Ut regnem mixtas inter conviva puellas.* Abi, bone vir, et vale.

Amoto ludo, in *Astrologo* agitur de poeta, qui orator fuerat et publica officia obierat: Propertius nec causas oravit in foro, nec militiae nomen dedit; nullis reipublicae muneribus perfunctus, nullum magnum facinus aggressus, totum se in literis et amoribus abdiderat. Nubem pro Junone eruditi amplexi sunt.

Sex. Aurelius Tullo de patria sua rogitanti responderat: *proxima supposito contingens Umbria campo Me genuit*, scilicet in planitie non in colle, non in loco edito. E converso auctor Astrologi locum suum natalem in vertice montis situm inquit: *scandentisque arcis consurgit vertice murus.* Id praeter descriptionem ipsam ab Ovidio deduxit. In ultima *Amorum* Naso scribit:

Atque aliquis spectans hospes Sulmonis aquosi
Moenia, qua campi jugera pauca tenent,
Quae tantum, dicet, potuisti ferre poetam,
Quantulacumque estis, vos ego magna voco.

Pseudopropertius:

Scandentes si quis cernet de vallibus arces,
Ingenio muros aestimet ille meos:
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo etc.

Postremo distichon:

Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi,

non fuit ab ipso Propertio confectum, licet illius aevi poeta non modeste de se loquuntur. In aprico est astrologum alterius poetae sidus consuluisse: Sex. Aurelius avis non erat decoratus, non erat eques, in foro non peroravit, poema *Dierum* non molitur; cecinisset fortasse: *exegi monumentum*, vel *nomenque erit indelebile nostrum*, non tamen se Callimachum romanum dixisset.

Omnibus fere latinis poetis tales ludi supposui sunt. Virgilio Ciris, Culix, Copa afficta fuerunt; Tibullo panegyricus in Messalam; Horatio elegi et epistola prosa oratione; Ovidio Nux, Halieutica, Philomela; Gallo vulgares illae Maximiani elegiae; Plauto innumerae comoediae; Ciceroni oratio non una; praetereo Sabinum, Pedonem, Sulpitiam aliosque complures. Elegi Pseudopropertiani Cynthiae nomen praeferebant; nil mirum a librario in Propertianum volumen coactos fuisse; fragmenta *Dierum*, propter eandem poetarum provinciam natalem Sex. Aurelio librarius tribuit, nisi credere mavis libri exarati paginas aliquot vacuas habentis, ne spatium vacaret, ultimae parti appegisse. [1] Adscititius versus *Quo ruis imprudens, vage, dicere fata*, *Properti* commentum firmavit, tempus consecravit; de me autem qui primus vetustum errorem aperui, quidnam *tenaces propositi viri* cogitaturi sint, nescio. In memoriam redit Bentleji monitum: „aliud longe est erratum corrigere, aliud agnoscere semel correctum."

## V.

### DE AUCTORE DIERUM ET DE POETA SABINO.

Si quis quaerit, possimne nomen auctoris Quarti Libri Pseudopropertiani e silentio et tenebris proferre, respondeo de elegis amatoriis nil omnino certi posse constitui; ad poema *Dierum* quod attinet, conjecturam dabo.

Ovidius in XVIII *Amorum* secundi libri scribit:

Quam celer a toto rediit meus orbe Sabinus,
  Scriptaque diversis retulit ille locis!
Candida Penelope signum cognovit Ulyxis,
  Legit ab Hippolyto scripta noverca suo.

---

[1] V. Heynii Observat. in Tibulli librum IV, Carmen I.

Jam pius Aeneas miserae rescripsit Elisae,
Quodque legat Phyllis, si modo vivit, habet.
Tristis ad Hypsipylen ab Jasone litera venit:
Det votam Phoebo Lesbis amata lyram.

Deinde in ultima ex Ponto suae aetatis poetarum agmen recensens, Marsum, Rabirium, Macrum, Pedonem, Carum, Severum, Priscum, Montanum memorat

Et qui Penelopae rescribere jussit Ulyxen
Errantem saevo per duo lustra mari,
Quique suam Troezena imperfectumque DIERUM
Deseruit celeri morte Sabinus opus.

Sabino, qui Ovidianis epistolis responsa dederat opusque *Dierum* susceperat celeri morte interruptum, restituenda arbitror sex fragmenta Quarti Libri, quae Propertii nomini addicuntur, eique pariter adscribendas elegias *Arethusae* et *Astrologi.* Quo modo ex Heroidibus epistolarum, ita e *Fastis* inventionem *Dierum* duxit, unde jam plane comperimus perpetuam hujus Nasonianam imitationem.

Pauca admodum ad poetae vitam pertinentia ex veteribus scriptoribus datum est haurire. Seneca qui Rhetoris cognomento donatur, memorat *Sabinum Clodium in quem uno die Graece et Latine declamantem multa urbane dicta sunt.* Si in causis aeque ac declamationibus *primum tempus aetatis suae* collocavisset, ut scribit Petrus Crinitus, Astrologi versus jam laudati ei convenirent:

Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
Et vetat insano verba tonare foro. [1]

Astrologus quoque declarat poetam ortum fuisse in Umbria *Romani patria Callimachi*, scilicet Propertii; *noti Penates* et *aurea bulla* ostendunt antiquam et claram fuisse Sabini familiam, equestri

---

[1] Horatius Epis. 5, I: *Butram tibi Septicium que Et nisi cena prior potiorque puella Sabinum Detinet, adsumam.* Nonnulli de Sabino poeta rem esse credunt.

dignitate ornatam. Quo anno natus, quove denatus ignoratur. Prima carmina fudisse videtur paullo post Ovidianas Heroidas, et ante Ovidii exilium concessisse vita, ergo ante an. DCCLXII. Astrologus narrat intra primos pueritiae annos amisisse patrem et bonorum partem, inque amatorios laqueos inexplicabiles irretitum vixisse:

Et bene cum fixum mento discusseris uncum
Nil erit hoc: rostro te premet ansa suo.

Saeculo post Ch. XV Sabino Auli nomen datum fuit, cujus erroris haec est origo. Primum editio *Heroidum* princeps (Venetiis an. Chr. MCCCCLXXXVI) tres Ulyxis, Demophoontis et Paridis epistolas *A. Sabino* adscriptas vulgavit, notula adjecta: „A. Sabinus, eques romanus celeberrimus vatesque Nasonis temporibus floruit. Qui has omnes responsorias et alias edidit, quae non reperiuntur." Mox de epistolarum sinceritate eruditi ambigere ceperunt, jamque Aldus Manutius animadvertebat: „Tres quae habentur, mihi non modo non videntur Sabini, sed ne excellentis quidem cujusquam poetae." In Manutii sententiam pedibus ivit Daniel Heinsius scribens: „ita languent, ut ne hac aetate quidem scriptas ferre possem." Scaliger, Nicolaus Heinsius, Lennepius in alia discesserunt. Sed anno MDCCCXXXVII Otto Jahnius monuit compositas fuisse ab Angelo Quirino Sabino, erudito viro romano qui floruit saeculo XV operamque in veteribus scriptoribus expoliendis atque edendis dedit. Angelus Quirinus Sabinus in *Paradoxis in Juvenali* scripserat: „Cum per aeris intemperiem ab Urbe Roma in Sabinos Cures me recepissen *heroidibusque Nasonis poetae inclyti heroas respondentes facerem* venit etc." Istius carmina Veneti editores, quovis modo decepti, veluti antiqui Sabini opus vulgaverunt. [1]

---

[1] Otto Jahnius dubitavit an Epistolae Quirini Sabini non impressae fuerint in editione Ammiani Marcellini *per A. Sabinum Poe. Laur.* (Romae 1474, typis *Sachsel de Reichental et Bartholomei Golsch*). Affirmo in illa editione non

Hinc sequeretur, omnia quae ille scripserat, temporis injuria intercidisse. Ex Ovidii testimonio patet tres libros poeticos confecisse: *Epistolas*, *Dies*, *Troezena*. Sex a Nasone Sabini epistolae enumerantur; verosimiliter singulis Ovidianis Heroidibus respondit. De poemate *Dierum* satis dictum est; de Troezene inter eruditos disputatur.

Codices M.SS. ad versum Ovidianum *Quique tuam Troezena* miras dant lectionum varietates: *Traezen*, *Trisene*, *Crozimen*, *Trisam*, *Timesen*, *Troian*, *Troadem*, *Troidem*. Nonnulli arbitrati sunt Sabinum hoc in libro cecinisse res a Theseo gestas ad Troezena, Peloponesi urbem, ubi Pittheus avus regnavit; plurimi autem censent Troezena nihil aliud esse quam fictum puellae nomen a poeta celebratae, quod sane Ovidii verba significare videntur.

At si vera sunt quae modo obiter disputavi, non ita enim ad institutum nostrum faciunt, trium Sabini operum quaedam hodieque supersunt: sex fragmenta *Dierum* duoque *Troezenae* elegi, Astrologus et Arethusa. Ad eundem fortasse erunt deferendae tres responsoriae epistolae Helenae Paridi, Erus Leandro et Cidyppae Acontio, quae inter Ovidianas recensentur. Sabinus respondendi munus susceperat; quod si magistro placuisset, mobilis illius phantasia, facilis beataque dicendi et pingendi copia presse vestigiis missarum non institisset, novaeque plane imagines, ornamenta et inventiones a divite vena fluxissent. Accedit quod epistola Helenae Paridi, trium praestantissima, in Codice Palatino inscribitur *Sabini poetae epistola qua Alexandro Helena respondet.*

Versiculus *Octipedis Cancri terga sinistra time*, qui in *Astrologo* occurrit, arguit indolem et artem Troezenae, aliquandoque suspi-

---

extare. Locus tamen adductus litem, mea sententia, secat; si autem ad poesis virtutem spectes, Manutius probe diremerat. Addendum est nullum esse veterem Codicem M.S. tres epistolas perhibentem.

cor elegiam in Lenam innuere Troezena. Atque Sabini ingenium considerans qui inventionem ab alio mutuari et diversas poesis formas imitari consuevit, vultum et incessum, ut ita dicam, suum retinens, non prorsus temere quisquam conjiciat et ipsum panxisse quattuor erotica carmina Pseudopropertiana. Mera tamen conjectura nullo satis certo argumento nititur; ideoque inter scholasticorum subsellia nata tutius erit dicere.

Nunc longioris lucubratiunculae tempus est facere finem, et illuc, unde abieram, redire. Lipsius scripsit: Propertium qui non amat, eum profecto Musae non amant. Candide lector, quem Musae diligunt, si in hoc libello Propertium denuo legens voluptatem aliquam novam percipies, satis laboris mei praemiorum tulisse crediderim; sin minus, communi poetae amore et gratia comiter ignosce.

Scribebam italice exeunte an. MDCCCLXVII et legi in Taurinensi Scientiarum Academia mense Majo MDCCCLXVIII; converti Hagae Comitum mense Decembri eiusdem anni.

# DE PASSENNIO PAULLO EXCURSUS.

Ea, quae leguntur pag. XLIV et seqq. scripseram, cum in manus meas venerunt *Novae Quaestiones Propertianae* C. Heimreichii hoc anno (MDCCCLXVII) Lipsiae vulgatae. Doctus vir Propertium Libri Quarti auctorem non autumat, monetque Passennio Paullo tribuendum esse. Conjecturam nullis argumentis in medium allatis nec veterum testimonio aut historica inductione munitam, perdifficile est recipere aut rejicere. Plinius de Passennio Paulo ait: „*In literis veteres aemulatur, exprimit, reddit: Propertium in primis, a quo genus ducit, vera soboles, eoque simillima illi, in quo ille praecipuus. Si elegos ejus in manum sumpseris, leges opus tersum, molle, jucundum et plane in Propertii domo scriptum. Nuper ad lyrica deflexit, in quibus ita Horatium, ut in illis illum alterum effingit. Putes, si quid in studiis cognatio valet, et hujus propinquum. Magna varietas, magna mobilitas. Amat ut qui verissime, dolet ut qui impatientissime, laudat ut qui benignissime, ludit ut qui facetissime. Omnia denique tamquam singula absolvit.*" Maximae me hercle laudes; ergo, Plinio judice, Passennius Paullus inclitus vates. Quid vero de quarto libro Pseudopropertiano sentit Heimreichius? „*Excepto carmine undecimo* (Cornelia) *puerilem* omnes (sic) *sapiunt et scholasticum poetam, crassaque Minerva sunt composita... Quae in carminibus quinto, septimo, octavo enarrantur ea... spurcissima sunt vel inelegantissima.* Addit *difficillimum* esse *stultorum poetarum interpretari inventa;* et concludit: *sed satis de absurdi poetae*

*ineptiis.* Severissimum judicium ad hoc nos ducit: aut Plinius tam liberalis Passennii laudator nullas Musas novit, aut Quartum Librum Passennio adscribere non licet. Pessimis et absurdis carminibus tersissimum poetam ultro donare absurdum est. Praeterea Plinius qui amatorios Passennii elegos odasque lyricas laudat, de poemate *Dierum* tacuisset? Plinii verba aeque atque Plinii silentium contra Heimreichii suspicionem stant.

Idem Criticus conjicit disticho *Pugnae Actiacae*, ubi de Orientis bellis agitur

Sive aliquid pharetris Augustus parcet Eois
Differat in pueros ista tropaea suos

designari expeditionem Caji Caesaris, Agrippae et Juliae filii, quae an. DCCLIV locum habuit, et poetam imitatum esse Ovidium de Art. Am. I, v. 177 et seqq.; atqui facta fuit expeditio et Ars Amatoria prodiit post Propertii mortem; ergo —. Nisi alia extarent argumenta probantia Propertium carminis auctorem non esse, in caducum parietem inclinaremus. Etenim verba optime in Tiberium et Drusum conveniunt, qui ambo ante Propertii mortem florebant; atque Tiberius an. DCCXXXIV bellum in Armenios gesserat et Tigranem regem in regnum reduxerat. Chronologia minime prohibet distichum referri ad Liviae filios, Augusti privignos. Sed si Passennium Paullum auctorem velis, nego ad C. Caesarem respexisse; nam Augusti nepos in bello Orientali vulneribus susceptis conciderat; et nemo Trajani temporibus, dixisset: Augustus Orientem domandum differt in C. Caesarem.

Praeterea Ovidius qui futuros triumphos, non cladem C. Caesaris canit, *puerum*, non *pueros* nominat: *Bellaque non puero tractat agenda puer*, v. 182; *Num quoque qui puer es*, v. 189; *Auspiciis animique patris puer arma movebis*, v. 191 etc. Et recte: uno enim Cajo bellum fuit commissum. E converso auctor carminis Pseudopropertiani *de pueris* loquitur cogitans sine dubio Tiberium

et Drusum bellis in Rhaetos, Vindelicos et Germanos clarissimos post an. DCCXXXIX. Denique hoc in loco poeta non Ovidium imitatus est, sed Propertii elegiam XXVII Lib. Sec. v. 3—10.

Heimreichius carmina Quarti Libri esse *composita ea arte, quae abhorret ab aurea poesis Romanae aetate* inquit; sententiae suae rationem tamen non addit. Carmina cum historia conferens, Augusti aevo confecta non dubito; si stilum et elocutionem considero, quamquam non omnia laudo et non pauca reprehendo, nihil tamen invenio quod deteriorem aetatem ostendat, atque post Senecam et Lucanum perscripta non fuisse pro certo habeo; in iis non inflatum dicendi genus, non incitata sententiarum abundantia, non tumida imaginum granditas.

Ad versum *Gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter arenas* Heimreichius notat: „Omnes aureae aetatis poetae in casibus obliquis longam esse voluerunt primam (lege: *priorem*) syllabam verbi *niger;* corripuit hoc uno loco Pseudopropertius." Haec scribens doctus vir obliviscebatur Ovidiani versus: *Et pulsata* nigri *regia caeca Dei.* (*Her.* II, v. 72.)

---

# CONSPECTUS TEMPORUM

## QUIBUS PROPERTIUS VIXIT, ELEGOS SCRIPSIT ET EDIDIT.

---

A. U. C.

714. — Propertius nascitur in Umbria. — *Bellum Perusinum.*

720. — *Horatius edit Sermonum Librum I.*

723. — *Pugna Actiaca.*

726. — *Quaedam de maritandis ordinibus Octavius procurat; Apollini in Palatio templum dedicat, cui postero tempore bibliothecam addidit.*

727. — *Octavius Augusti nomine a Senatu donatur.*

728. — *Cornelius Gallus, primus serie temporis poeta eroticus Romanus, semet interimit.*

729. — Propertius togam virilem sumit. — *Aelius Gallus et Petronius bellum contra Arabiam et Aethiopiam gerunt.*

730. — Propertius in Lycinnam incidit. — *Phraates iterum pellit Tiridatem e regno Parthorum; hic ad Augustum confugit.*

731. — Propertii elegia in mortem Marcelli. — *Augustus exeunte anno captivos romanos et signa Crassi a Parthis repetit.*

732. — Propertii amorum cum Cynthia initium; primi elegi amatorii. — *Aethiopes caesi, eorum terra praesidiis occupata.*

733. — Hoc anno exeunte Praetor quidam ex Ilyrio reversus, Cynthia facile potitur. Propertius excluditur; Graeciam

A. U. C.

versus navigat; tempestate orta Romam revertitur et Primum *Cynthiae* librum edit. — *Augustus in Graeciam proficiscitur, Samum navigat; bellum in Parthos molitur.*

734. — Propertius cum Cynthia foedus renovat; Maecenatem laudat, Augustum celebrat. — *Phraates Augusto signa et captivos remittit. Tiberius Nero Tigranem regem Armeniorum in regnum deducit. Cyzicenis libertas ab Augusto adempta.* Tullus in Asiam proficiscitur et Propertium comitem rogat. V. El. XX Lib. Sec.

735. — Propertius Secundum *Cynthiae* librum edit. — *Augustus ab Oriente Romam redit; Virgilius Brundisii moritur; Romae Tibullus, secundus serie temporis poeta eroticus romanus.*

736. — *Lex de maritandis ordinibus ab Augusto rogata, populo renuente non perlata.* Propertius hanc legem innuit El. XXII Libri Tertii, gaudetque sublatam.

737. — Propertius Cynthiam deserit post quinquennale servitium; Tertium *Cynthiae* librum absolvit, editque hoc anno vel sequenti. — *Augustus ludos saeculares instituit.*

738. — *L. Domitius et P. Cornelius Scipio Consules. Cornelia, soror Scipionis, uxor Lepidi moritur. Horatius Epistolarum Librum Primum vulgat.* — Propertius Epicedium Corneliae scribit. Post hunc annum vitam produxisse non constat. Obiit forte anno subsequente, tertius *serie temporis* eroticus poeta romanus.

739. — *Ovidius*, serie temporis, *quartus poeta eroticus romanus, primos* Amorum *libros et primas Heroidas sub hoc tempus vulgat. Rhaeti et Vindelici per Tiberium et Drusum subiguntur. Augustus Cyzicenis libertatem restituit.*

---

# ELENCHUS CODICUM PROPERTII MSS.

NEAPOLITANUS, qui olim erat Neapoli ad S. Joannem Carbonarium, nunc Guelferbyti (Wolfenbuttel in ducatu Brunsvicensi), inter Gudianos Codices n. 224. Saeculo XIV in Italia exaratus est, omniumque Propertianorum qui extant, antiquissimus. Excerpta primus dedit N. Heinsius, deinde Lachmannus, Jacobius et Hertzbergius.

GRONINGANUS. Groningae in bibliotheca academica asservatur. Saeculo XV in Italia conscriptus. Bonitate cum Neapolitano contendit. Excerpta dederunt Franciscus Modius, Jo. Schraderus, Burmannus, Lachmannus, Jacobius et Hertzbergius.

MENTELIANUS (qui etiam Leidensis I, Francianus II et Broukhusii II nomine laudatur) cum Neapolitano saepe consentit. Exaratus saeculo XIV in Italia, sed ab imperito librario. Collatus fuit ab Heinsio et Oudendorpio; excerpta dedit quoque Hertzbergius.

DRESDENSIS. Scriptus XV saeculo. A Mendlero collatus; dederunt excerpta Barthius et Hertzbergius. Cum Neapolitano consentit. Elegiarum argumenta exhibet.

HAMBURGENSIS. In Italia saec. XV scriptus in Bibliotheca Hamburgensi servatur.

LEIDENSIS II, HEINSIANUS, VOSSIANUS. Heinsius et Burmannus dederunt excerpta.

BERNARDINI VALLAE. Cod. antiquissimus nunc deperditus. Excerpta servavit Franciscus Puccius. Exemplar quod Puccii emendationes continebat atque olim Romae apud Victorios erat, hanc subscriptionem perhibet: *Franciscus Puccius haec adnotabat anno salutis MDII Augustino Scarpinella comite studiorum, sequutus fidem antiquissimi Codicis, qui primum fuit Bernardini Vallae, Patritii Romani, viri doctissimi, dein ab eo dono datus est Alphonso II regi Neapolitano, principi literarum amantissimo.* Quaedam tamen ex ingenio Puccius reposuit.

PONTANUS *et* CREMONENSIS, nunc deperditi. Eos excerpsit Antonius Perrejus sic subscribens: *Emendabam et annotabam Catullum Tibullum et Propertium ego Ant. Perr... collatis vetustissimis exemplaribus alio Pontani, alio Epi. Cremon. alio Fran. Puccii nec non aliis Romae et Florent. habitis anno* 15... *et* 15... (1528). Quaedam ex conjectura sua Perrejus quoque emendasse creditur.

*Codices italici.* Hoc nomine vocantur ii Codices, qui non a librariis plerumque indoctis confecti fuerunt, sed a doctis italis saec. XV et XVI, etiam post artem typographiae inventam, emendati ex ingenio fuerunt. Praecipui sunt:

Quinque VATICANI. — Duo REGII PARISINI. — Duo COLBERTINI saec. XV. — Duo LEIDENSES. — Tres VOSSIANI. — Duo DORVILLIANI. — Duo BEROLINENSES. — Duo PALATINI. — BONONIENSIS. — GUARNERIANUS. — FARNESIANUS. — MEMMIANUS. — COMMELIANUS. — THUANEUS. — ASKEWIANUS. — HARLEJANUS. — BURMANNIANUS I et II. — VALLERIANUS. — COLOTIANUS. — BORRICHIANUS. — Codd. MURETI, ORSINI, BERCHEMII, LATINI LATINII, GRASSERI, LUPACCHINII, VLAMINGII, PASSERATII, SCALIGERI.

Propertius diu latuit in monasteriorum latebris. Fortasse Petrarchae notus fuit, qui romanos elegiae triumviros nominat (*Trionfo d'Am.* IV, v. 23):

*L'uno era Ovidio e l'altro era Tibullo,*
*L'altro Properzio che d'amor cantaro*
*Fervidamente, e l'altro era Catullo.*

Sed Io. Iov. Pontani opera saec. XV innotuit et literis fuit restitutus, qui codicem quemdam in cella vinaria invenit, corrosis paginis et literis labentibus eumque emendavit et vulgavit. Ex hoc Pontaniano Codice nunc deperdito Codices omnes defluxsisse narravit Alexander ab Alexandro; quod verum non esse et Neapolitanus Codex testatur et subscriptio Puccii adducta, in qua Codicis Cremonensis mentio fit.

# PROPERTII EDITIONES PRAECIPUAE.

Omnium editionum propertianarum indicem praebere non multum ad contextus historiam conferret: eas enumerabo, quae principes sunt dicendae quod vel ab ipsis tamquam a stirpe aliarum editionum familia prognata est, vel doctorum virorum commentariis instructae sunt.

**Saeculo XV.**

1472. Editio princeps. *Valerii Catulli, Veronensis, Poetae clarissimi, Carmina; Albii Tibulli, equitis Romani, elegiae; Aurelii Propertii Umbri Mevani carmina; P. Papinii Statii Surculi Sylvarum liber ad Stellam.* (Venetiis, Vindelinus de Spira). In 4°. maj. Hanc contulit Vulpius.

1475. *Catullus, Tibullus, Propertius et Statii Papinii Sylvarum liber.* Venetiis, *Jo. de Colonia et Jo. Manthem de Ghersem.* In 4°. maj. Hanc excussit Broukhusius.

1481. *Tibulli, Catulli, Propertii cum eorum vita, opera.* Regii Lepidi, *Pr. Odoardus et Alb. Mazali.* In fol. Ed. Rhegina maxime laudatur; eam adnotavit Puccius.

1481. *Tibullus, Catullus, Propertius et Statii Silvae.* Vincentiae, *per Jo. Renensem et Dionysium Bertochum.* In fol. In ea Joannes Calphurnius (qui duo carmina sua volumini inseruit) gloriatur editionem Venetam (non ait utrum primam an alteram) emendavisse, doletque operarum vitio laborem suum inquinatum.

1482. *Propertii elegiarum libri, edente Ant. Volsco.* Romae, *Euch. Silber.* Altera editio prodiit Venetiis an. 1487.

1491. *Tibullus, Catullus, Propertius etc. cum commentariis Phil. Beroaldi.* Venetiis. In folio. In fine legitur: *Commentarii in Propertium a Philippo Beroaldo editi anno salutis* 1485, *impressi vero* Bononiae *anno* 1487 *in commune a Benedicto Hectoris librario et Platone de Benedictis impressore solertissimo, civibus Bononiensibus.* Altera Venetiis, 1493; tertia Venetiis 1494; quarta Venetiis 1500, quae Cyllaeniana vocatur.

1495. *Propertii Umbri, Elegiographi, Calorum* (sic) *libri quatuor.* Lipsiae, *Mart. Lantzperger.* In 4°. Hujus editionis perrarae exemplar asservatur in R. Bibliotheca Hagana.

**Saeculo XVI.**

1502. Aldina I. *Catullus, Tibullus, Propertius.* Venetiis, *in aedibus Aldi, mense Januario.* In 8°.

1503. *Catullus, Tibullus, Propertius.* Florentiae, *Ph. Giunta.* In 8°.

1515. Aldina II. *Catullus, Tibullus, Propertius.* Venetiis, *in aedibus Aldi et Andreae Soceri, mense Martio.* In 8°.

1529. *Catullus, Tibullus, Propertius.* Parisiis, *apud Simonem Colinaeum.* In 8°. Altera 1533.

1534. *Catullus, Tibullus, Propertius.* Lugduni, *Seb. Gryphius.* II 1542, III 1544, IV 1545, V 1551, VI 1561, VII 1571, VIII 1573. In 8°.

1558. *Sext. Propertius. M. Ant. Mureti in eum scholia.* Venetiis, *ap. Paullum Manutium Aldi F.* In 8°. Eadem Venet., Manut., 1562. In 8°; Lugduni, ap. Gulielmum Rovillium, 1559. In 8°.

1569. *Catullus, Tibullus, Propertius. Cum recensione G. Canteri.* Antverpiae, *ex Off. Christoph. Plantini.* In 12°. Altera 1587. Tertia 1600.

1577. *Catulli, Tibulli, Propertii Nova Editio. Josephus Scaliger Jul. Caesaris F. recensuit.* Lutetiae, *apud Mamertum Patissonium, in officina Rob. Stephani.* In 8°. Saepius repetita.

1588. *Catullus, Tibullus, Propertius.* Lugduni Batavorum. In 12°. *Edente Jano Dousa Fil. cum suis in Cat., Tib., Prop. conjectaneis.* Altera Lugduni Batavorum, ex officina Plant., apud Fr. Raphelengium. 1592.

**Saeculo XVII.**

1604. *Catullus, Tibullus, Propertius, cum variorum doctorum commentariis, notis, observationibus, emendationibus et paraphrasibus in unum congestis.* Lutetiae Paris. Cl. Morellus. In fol.

1608. *Jo. Passeratii commentarii in Catullum, Tibullum et Propertium.* Parisiis ap. Cl. Morellum. In fol.

1618. *Jani Gebhardi in Catullum, Tibullum, Propertium animadversiones.* Hanoviae. In 8°.

1621. *Catullus, Tibullus, Propertius, cum I. Livineji notis antehac ineditis, nec non uberioribus Jani Gebhardi animadv.* Francofort. Typ. Wechel. In 8°.

1680. *Catullus, Tibullus, Propertius, e recensione J. G. Graevii, cum notis variorum.* Trajecti ad Rh. In 8°. Graevii nomen usurpatum fuit.

1685. *Catulli, Tibulli, Propertii opera, cum interpretatione et notis illustrata a Phil. Silvio in usum Delphini.* Parisiis. In 4°.

**Saeculo XVIII.**

1702. *Catulli, Tibulli et Propertii opera, ad optimorum exemplarium fidem recensita. Accedunt variantes lectiones e MSS.* Cantabrigae, Typis acad., inpensis Jac. Tonson. In 4°.

1702. *Propertius (cura Jani Broukhusii).* Amstelododami, *ap. Henr. Wetsten.* Editio altera cum curis secundis, *ibid.* 1727. In 4°.

1710. *Catullus, Tibullus, Propertius, ex recensione Jo. Ant. Vulpii, cum ejusdem observationibus.* Patavii, ap. Jos. Corona. In 4°. Editio altera laudibus dignior, 1755. Patavii, ap. Cominum. 2 voll. In 4°.

1777. *Propertius, varietate lectionis et perpetua adnotatione illustratus a Frid. Goth. Barthio.* Lipsiae. In 8°.

1780. *Sex. Aurelii Propertii Elegiar. lib. IV, cum commentario perpetuo Petri Burmanni secundi etc.* Traject. ad Rhenum. In 4°. L. Santenius opus Burmanni morte interruptum absolvit. Editio Hemsterhusii adnotationes continet.

**Saeculo XIX.**

1805. *Propertii Carmina recensuit, illustravit Chr. Th. Kuinoel.* Lipsiae. 2 voll. In 8°.

1816. *Sex. Aurelii Propertii Carmina. Emendavit ad codicum meliorum fidem et annotavit Carolus Lachmannus.* Lipsiae. In 8°.

1827. *Sex. Aurelii Propertii Carmina, ad fidem optimorum codicum recensuit etc. Fridericus Jacob.* Lipsiae. In 8°.

1827. *Sex. Aurelii Propertii Carmina cum potiore scripturae discrepantia praestantissimis VV. DD. coniecturis suisque observationibus criticis edidit Hermannus Paldamus.* Halis. In 8°.

1843. *Sex. Aurelii Propertii elegiarum libri quattuor, recensuit etc. Guil. Ad. B. Hertzberg.* Halis. In 8°. Duo vol. in quattuor divisa.

1866. *Sex. Aurelii Propertii Elegiae. Edidit Henricus Keil.* Lipsiae. In 12°.

# S. AURELII PROPERTII

# CYNTHIA.

## LIBER PRIMUS.

---

### ELEGIA I.

**AD TULLUM.**

(Codd. Burmannus et Lachmannus, 1, I.)

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis,
  Contactum nullis ante cupidinibus.
Tum mihi constantis dejecit lumina fastus
  Et caput impositis pressit Amor pedibus,
Donec me docuit castas odisse puellas 5
  Improbus! et nullo vivere consilio.
Et mihi jam toto furor hic non deficit anno,
  Cum tamen adversos cogor habere deos.
Milanion nullos fugiendo, Tulle, labores
  Saevitiam durae contudit Iasidos. 10
Nam modo Partheniis amens errabat in antris,
  Ibat et hirsutas ille videre feras;
Inde etiam Hylaei perculsus vulnere rami
  Saucius Arcadiis rupibus ingemuit.
Ergo velocem potuit domuisse puellam: 15
  Tantum in amore preces et benefacta valent.
In me tardus Amor non ullas cogitat artes,
  Nec meminit notas, ut prius, ire vias.

At vos, deductae quibus est fallacia Lunae,
  Et labor in magicis sacra piare focis, 20
En agedum dominae mentem convertite nostrae,
  Et facite illa meo palleat ore magis.
Tunc ego crediderim vobis et sidera et amnes
  Posse Cytaeaeis ducere carminibus!
Aut vos, qui sero lapsum revocatis, amici, 25
  Quaerite non sani pectoris auxilia.
Fortiter et ferrum, saevos patiemur et ignes:
  Sit modo libertas, quae velit ira, loqui.
Ferte per extremas gentes, et ferte per undas,
  Qua non ulla meum femina norit iter! 30
Vos remanete, quibus facili Deus annuit aure,
  Sitis et in tuto semper amore pares.
In me nostra Venus noctes exercet amaras,
  Et nullo vacuus tempore defit Amor.
Hoc, moneo, vitate malum: sua quemque moretur 35
  Cura, neque assueto mutet amore locum.
Quodsi quis monitis tardas adverterit aures,
  Heu! referet quanto verba dolore mea!

2. Hemsterhusius legit *Cupidinibus*, deos cogitans; cum Lachmanno et Jacobio scripsi *cupidinibus*, amoris curis.

3. Codd. *constantis-fastus*; et interpretes: *Amor dejecit oculos, qui constanter contemptum amoris prae se ferebant;* vel: *Amor dejecit fastum, qui olim supercilio meo insederat.* Burmannus contra conjiciebat: *constanti fastu*, id est: *Cynthia adsiduo fastu, perpetuis repulsis, dejecit mihi lumina, et Amor pedibus impositis impressit caput, donec* etc.

5. *Castas puellas*, feminas pudoris retinentes, non Musas, uti Broukhusius interpretabatur.

12. *Videre feras*, adire, experiri. Nicolaus Heinsius emendavit *ferire feras;* Paldamus conjiciebat *sollicitare feras.* Sed Virgilius Georg. II, 68: *Casus abies visura marinos;* et Ovidius Trist. V, 5, 51: *Si nihil infesti tristis vidisset Ulixes.*

25. Codd. *Et* vel *At.* Hemsterhusius restituit *Aut.*

# ELEGIA II.

## AD AMICAM.

(Codd. 20; Burm. 18, III; Lachm. 19, IV.)

Jam F. G. Barthius animadvertebat hanc elegiam vel ante omnes reliquas Primi Libri a Propertio esse scriptam. Hostiam (Cynthiae enim nomen adhuc illi non fuerat impositum) ab amatore suo, Africam petente, derelictam poeta comiter ad se invitat, eique fidem promittit.

Credis eum jam posse tuae meminisse figurae,
  Vidisti a lecto quem dare vela tuo?
Durus, qui lucro potuit mutare puellam!
  Tantine his lacrimis Africa tota fuit?
At tu, stulta, deos, tu fingis inania verba: 5
  Forsitan ille alio pectus amore terat.
Est tibi forma potens, sunt castae Palladis artes,
  Splendidaque a docto fama refulget avo.
Fortunata domus, modo sit tibi fidus amicus!
  Fidus ero; in nostros curre, puella, toros. 10

4. Neap. *Tantisne in lacrimis;* Gron. *Tantisne lacrimis;* Puccius *Tanti ne.* Reposui *Tantine his lacrimis*, quam emendationem postea vidi a Paldamo et Hertzbergio propositam.

5. Fridericus Jacobius sic interpretatur: *Et deos et inania promissa stulte fingis; id est fallis te illis; nam quae nobis non vera fingimus, iis fallimur.* Alii aliter. Ego vero: Tu mihi et precibus meis stulte opponis deos, per quos amatori illi tuo fidem juraveras; inania verba haec sunt; ille forsitan, immemor tui, aliam jam amplectitur. *Fingere* hic eodem prope sensu accipitur, quo in Eleg. 18, I: *Quid mihi desidiae non cessas fingere crimen* etc.

6. Gron. *terit;* Neap. *terat.*

10. Gron. et Neap. *toros.* Heinsianus et Borrichianus *sinus*, quod Broukhusius recepit.

# ELEGIA III.

## AMORIS FOEDUS.

(Codd. 20, Burm. 19, III; Lachm. 20, IV.)

In codd. et edd. vett. superiori annectitur, Scaliger separavit.

Codices secundum distichon priori, quintum quarto praeponunt, quem ordinem Scaliger optime commutavit. — *Nox mihi prima venit; primae data tempora noctis*, inquit Propertius; hinc elegiam ad Primum, non ad Tertium librum pertinere res ipsa indicat.

Nox mihi prima venit! primae data tempora noctis
  Longius in primo, Luna, morare toro!
Tu quoque, qui aestivos spatiosius exigis ignes,
  Phoebe, moraturae contrahe lucis iter!
Foedera sunt ponenda prius, signandaque jura, 5
  Et scribenda mihi lex in amore novo.
Haec Amor ipse suo constringet pignora signo;
  Testis sidereae tota corona deae.
Quam multae ante meis cedent sermonibus horae,
  Dulcia quam nobis concitet arma Venus! 10
Namque, ubi non certo vincitur foedere lectus,
  Non habet ultores nox violanda deos;
Et, quibus imposuit, solvit nox vincla libido:
  Contineant nobis omina prima fidem.
Ergo qui tactas in foedera ruperit aras, 15
  Pollueritque novo sacra marita toro,
Illi sint, quicumque solent in amore dolores,
  Et caput argutae praebeat historiae,
Nec flenti dominae patefiant nocte fenestrae:
  Semper amet, fructu semper amoris egens. 20

1. Neap. *date tempora;* Gron. *data tempora.*

2. *Primo toro* — in hoc primo amicae complexu, exponit Passeratius.

7. Gron. *confringit pignora;* Neap. *constringit;* Puccius vero: *constringet,* i. e. firmabit et velut subsignabit.

12. Gron. et edd. vulg. *nox vigilanda;* Puccius verius: *nox violanda*, nox quae violabitur.

13. Edd. vulg. *solvit mox;* at Gron. *solvit nox.* Notat Jacobius: quibus libido, non foedera fida, imposuit vincula, iis nox, *unius* gaudia *noctis* exhausta, vincula solvit.

15. *Actas-aras.* Gron. Codex Passeratii *tactas.* Reliqui *pactas.* Tangere aras solemne erat apud veteres: rumpere aras in foedera *pactas* otiose dictum videtur.

19. Gron. *patefacta;* reliqui *patefiant.*

## ELEGIA IV.

### PRIMA NOX.

(Codd. 14, Burm. 12, II; Lachm. 6, III.)

Amica potitus, gaudio elatus, primae noctis voluptates narrat. Ad Primum Librum pertinet, non ad Secundum, in quo elegia IX alteram primam noctem, postquam discidium et *iniqui fastus* finem habuerant, describit.

O me felicem! o nox mihi candida! et o tu
  Lectule, deliciis facte beate meis!
Illa meos somno lapsos patefecit ocellos
  Ore suo, et dixit: Siccine lente jaces?
Quam vario amplexu mutamus brachia! quantum 5
  Oscula sunt labris nostra morata tuis!
Quam multa adposita narramus verba lucerna!
  Quantaque sublato lumine rixa fuit!
Nam modo nudatis mecum est luctata papillis;
  Interdum tunica duxit operta moram. 10
Non juvat in caeco Venerem corrumpere motu:
  Si nescis, oculi sunt in amore duces.
Ipse Paris nuda fertur periisse Lacaena,
  Cum Menelaëo surgeret e thalamo.
Nudus et Endymion Phoebi cepisse sororem 15
  Dicitur, et nudae concubuisse deae.

Quodsi pertendens animo vestita cubaris,
  Scissa veste meas experiere manus;
Quin etiam, si me ulterius provexerit ira,
  Ostendes matri brachia laesa tuae.
Necdum inclinatae prohibent te ludere mammae:
  Viderit haec, si quam jam peperisse pudet.
Dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore:
  Nox tibi longa venit, nec reditura dies.
Atque utinam haerentes sic nos vincire catena
  Velles, ut nunquam solveret ulla dies!
Exemplo junctae tibi sint in amore columbae,
  Masculus et totum femina conjugium.
Errat, qui finem vesani quaerit amoris;
  Verus amor nullum novit habere modum.
Terra prius falso partu deludet arantes,
  Et citius nigros Sol agitabit equos,
Fluminaque ad caput incipient revocare liquores,
  Aridus et sicco gurgite piscis erit,
Quam possim nostros alio transferre dolores:
  Hujus ero vivus, mortuus hujus ero.
Quod mihi si secum tales concedere noctes
  Illa velit, vitae longus et annus erit;
Si dabit haec multas, fiam immortalis in illis:
  Nocte una quivis vel deus esse potest.
Qualem si cuncti cuperent deducere vitam,
  Et pressi multo membra jacere mero,
Non ferrum crudele, neque esset bellica navis,
  Nec nostra Actiacum verteret ossa mare;
Nec totiens propriis circum oppugnata triumphis,
  Lassa foret crines solvere Roma suos.
Haec certe merito poterunt laudare minores:
  Laeserunt nullos pocula nostra deos.

Tu modo, dum licet, hunc fructum ne desere vitae:
  Omnia si dederis oscula, pauca dabis. 50
Ac veluti folia arentes liquere corollas,
  Quae passim calathis strata natare vides,
Sic nobis, qui nunc magnum spiramus amantes,
  Forsitan includet crastina fata dies.

3. Gron. et Neap. *Lassos ocellos;* Puccius *lapsos.*

7, 8, 9, 10. In Codd. quartum et quintum distichon praeponuntur secundo et tertio. Janus Dousa pater ordinem commutandum esse censuit, et secundum post quintum collocandum. Ordinem secutus sum quem sententia flagitare videtur.

22. Gron. *Viderit hoc;* Neap. *Viderit haec.*

35. Codd. *transferre dolores;* Philippus Beroaldus reposuit *calores.*

41. Gron. *deducere vitam;* alii *decurrere.*

47. Gron. *Haec certe*, id est *haec facta nostra*, *hos nostros amores.* Neap. *Nec certe;* Mentelianus, Vossianus III et edd. vulg. *Me certe.*

49. Gron. *dum liceat*, *fructum;* Neap. *dum lucet*, *fructum;* Mentelianus, Vossianus, Heinsianus: *dum licet*, *hunc fructum;* quam lectionem Calphurnius et Volscus restituerunt.

## ELEGIA V.

### AD CYNTHIAM.

(Codd. 2, I, et 17, II; Burm. 2, I, et 14, II;
Lachm. 2, I, et 10, III.)

Disticha 4, 5, 6, 7, 8, 22, 23, 24, in Codd. annectuntur elegiae XXIV, (Codd. XVIII Secundi Libri.) Separata fuerunt a viris doctis, et Jacobius judicavit alius cujusdam carminis esse fragmenta. In hanc elegiam transtuli, a qua divulsa fuisse evidentissimum est.

Quid juvat ornato procedere, vita, capillo,
  Et tenues Coa veste movere sinus?
Aut quid Orontea crines perfundere myrrha,
  Teque peregrinis vendere muneribus,
Naturaeque decus mercato perdere cultu, 5
  Nec sinere in propriis membra nitere bonis?

Nunc etiam infectos, demens, imitare Britannos,
  Ludis et externo tincta nitore caput?
Ut natura dedit, sic omnis recta figura est:
  Turpis Romano Belgicus ore color.
An si caeruleo quaedam sua tempora fuco
  Tinxerit, idcirco caerula forma bona est?
Illi sub terris fiant mala multa puellae,
  Quae mentita suas vertit inepta comas!
De me, mi certe poteris formosa videri,
  Mi formosa sat es, si modo saepe venis.
Crede mihi, non ulla tuae est medicina figurae;
  Nudus Amor formae non amat artificem.
Aspice, quos summittit humus formosa colores,
  Et veniant hederae sponte sua melius;
Surgat et in solis felicior arbutus antris,
  Et sciat indociles currere lympha vias.
Litora nativis collucent picta lapillis,
  Et volucres nulla dulcius arte canunt.
Non sic Leucippis succendit Castora Phoebe,
  Pollucem cultu non Hilaïra soror;
Non Idae, et cupido quondam discordia Phoebo,
  Eveni patriis filia litoribus;
Non Phrygium falso traxit candore maritum
  Avecta externis Hippodamia rotis.
Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis,
  Qualis Apelleis est color in tabulis.
Non illis studium vulgo conquirere amantes;
  Illis ampla satis forma, pudicitia.
Non ego nunc verear ne sim tibi vilior istis?
  Uni si qua placet, culta puella sat est;
Cum tibi praesertim Phoebus sua carmina donet,
  Aoniamque libens Calliopea lyram;

Unica nec defit jucundis gratia dictis,
  Omnia quaeque Venus, quaeque Minerva probat. 40
His tu semper eris nostrae gratissima vitae,
  Taedia dum miserae sint tibi luxuriae.
Cum tibi nec frater nec sit tibi filius ullus,
  Frater ego et tibi sim filius unus ego
Ipse tuus semper tibi sit custodia lectus, 45
  Nec nimis ornata fronte sedere velis.
Credam ego; narranti noli committere famae:
  Et terras rumor transilit et maria.

16. Codd. *formosa satis.* Heinsius emendavit *formosa sat es.*

18. Id est *non amat eam, quae est artifex formae suae.* Heinsius malebat *formam artificem*, formam quae artificio elaborata est.

21. Codd. *formosius arbutus.* Quum *humus formosa* praecedat, Heinsius et Bentlejus proposuerunt *pomosior, frondosior, animosior;* Lachmannus *felicius.* Scripsi *felicior*, quia subsequitur *dulcius.*

35. Codd. *nunc vereor* sine interrogativa particula. Repono cum Jacobio *verear.* Timoris significatio est in hoc versu, qui sic est intelligendus: Quum tu te tam studiose ornes, nonne rivales meos verear? Minor versus timoris causam exprimit. — Male vulg. *ne sis mihi vilior istis*, id est heroinis.

39. Gron. *gratia dictis;* ceteri codices *gratia verbis.* Groninganam lectionem attulit Burmannus, probavit Jacobius, intelligens de brevi illo et acuto facetiarum genere, quod *dictorum* nomine proprie vocatur. Poesim in Cynthia laudavit Propertius superiore disticho; hic sales.

47. Plurimi interpungunt: *Credam ego narranti, noli committere, famae;* id est: noli peccare; namque nihil tacetur, et ego credam famae. Contrarium dixisse Propertium arbitror: Tibi ego credam; sed cave ne *non boni rumores* te laedant; garrula enim est Fama et volucris; vera et falsa evulgat.

## ELEGIA VI.

### DE CYNTHIA DORMIENTE.

(Codd. Burm. et Lachm. 3, I.)

Qualis Thesea jacuit cedente carina
  Languida desertis Gnosia litoribus;

Qualis et accubuit primo Cepheïa somno
  Libera jam duris cautibus Andromede;
Maenas et assiduis Edonis fessa choreis 5
  Qualis in herboso concidit Apidano:
Talis visa mihi mollem spirare quietem,
  Cynthia non certis nixa caput manibus,
Ebria cum multo traherem vestigia Baccho,
  Et quaterent sera nocte facem pueri. 10
Hanc ego, nondum etiam sensus deperditus omnes,
  Molliter impresso conor adire toro;
Et quamvis duplici correptum ardore juberent
  Hac Amor, hac Liber (durus uterque deus),
Subjecto leviter positam tentare lacerto, 15
  Osculaque admota sumere et arma manu,
Non tamen ausus eram dominae turbare quietem,
  Expertae metuens verbera saevitiae;
Sed sic intentis haerebam fixus ocellis,
  Argus ut ignotis cornibus Inachidos. 20
Et modo solvebam nostra de fronte corollas,
  Ponebamque tuis, Cynthia, temporibus;
Et modo gaudebam lapsos formare capillos,
  Nunc furtiva cavis poma dabam manibus;
Omniaque ingrato largibar munera somno, 25
  Munera de prono saepe voluta sinu.
Et quoties raro duxti suspiria motu,
  Obstupui vano credulus auspicio,
Ne qua tibi insolitos portarent visa timores,
  Neve quis invitam cogeret esse suam: 30
Donec diversas percurrens Luna fenestras,
  Luna moraturis sedula luminibus,
Compositos levibus radiis patefecit ocellos.
  Sic ait in molli fixa toro cubitum:

„Tandem te nostro referens injuria lecto, 35
„Alterius clausis expulit e foribus?
„Namque ubi longa meae consumpsti tempora noctis
„Languidus exactis, hei mihi, sideribus?
„O utinam tales perducas, improbe, noctes,
„Me miseram quales semper habere jubes! 40
„Nam modo purpureo fallebam stamine somnum,
„Rursus et Orpheae carmine fessa lyrae;
„Interdum mecum graviter deserta querebar
„Externo longas saepe in amore moras;
„Dum me jucundis lassam sopor impulit alis. 45
„Illa fuit lacrimis ultima cura meis."

5. Codd. *Nec minus;* Heinsius restituit *Maenas et.*

16. Codd. omnes *sumere et arma.* Quod Lachmannus sic exponit: *amor mihi et Bacchus suadebant ut jacentem puellam, submisso lacerto, leviter tentarem, oscula sumerem, et, admota corpori manu, me ad hoc dulce bellum pararem.* Arma sumere, *quod militum est, ad venereum hoc bellum Propertius transtulit.* — Interpretatio sensum plus aequo obscenum, quo *arma* pro *telo* accipiebantur, temperat argute et firmatur ab illo *„dulcia quam nobis concitet arma Venus"* Eleg. III, v. 10. Gronovius emendabat *ad ora*, et Burmannus intelligebat Propertium Cynthiae manum ori suo applicare voluisse. Sed majora facinora amator tentabat, quae Cynthiam vehementius quam par est e somno excussissent. Illa enim, molli osculo leniter somno soluta, irarum abstinuisset, nec Propertio cavendum erat *a verberibus saevitiae expertae.*

27. Neap. *duxit;* Gron. *duxti* pro *duxisti.*

29. Fonteinius legebat *Ne qua illi*, et in versu 27 *duxit*, tertia persona.

32. Luna cujus lumen moratum fuit donec aperuit oculos puellae fulgore perstrictos.

35. *Tandem injuria, id est exclusio, quae refert te ad lectum meum, expulit te e foribus tibi (nunc) clausis.*

39. Omnes fere Codd. *perducas;* edd. Gryphianae et vulg. *producas. Producere* aliquid jucunditatis in se habet: nox in conviviis producitur.

# ELEGIA VII.

## AD CYNTHIAM.

(Codd. Burmann. et Lachmann. 8, I.)

Ordinem dist. 7, 8 et 9, qui in Codd. turbatus est, restitui hac sententia: Utinam hiemales brumae navem tuam solvere funem prohibeant! Quod si tamen discessura eris, quocumque modo de me mereris, non sit Galatea aliena tuae viae; atque ego tum videam, cum navis illa tua altum petat, sic consistere ventos ut incolumis Oricum pervenias. — Ita omnia cohaerent in hac elegia, quae mirifice torsit interpretes.

Tune igitur demens? nec te mea cura moratur?
  An tibi sum gelida vilior Illyria,
Et tibi jam tanti, quicumque est, iste videtur,
  Ut sine me vento quolibet ire velis?
Tune audire potes vesani murmura ponti, 5
  Fortis et in dura nave jacere potes?
Tu pedibus teneris positas fulcire pruinas?
  Tu potes insolitas, Cynthia, ferre nives?
O utinam hibernae duplicentur tempora brumae,
  Et sit iners tardis navita Vergiliis! 10
Nec tibi Tyrrhena solvatur funis ab ora,
  Neve inimica meas elevet aura preces,
Et me defixum vacua patiatur arena
  Crudelem infesta saepe vocare manu!
Sed quocumque modo de me, perjura, mereris, 15
  Sit Galatea tuae non aliena viae!
Atque ego tum videam tales subsidere ventos,
  Cum tibi provectas auferet unda rates,
Ut te, felici per saeva Ceraunia remo,
  Accipiat placidis Oricos aequoribus. 20
Nam me non ullae poterunt corrumpere taedae,
  Quin ego, vita, tuo limine verba querar;

Nec me deficiet nautas rogitare citatos:
„Dicite, quo portu clausa puella mea est?"
Et dicam, licet Autariis considat in oris 25
Et licet Isseis: „Illa futura mea est!"

1. *Tune igitur demens?* Oratio abrupta et imperfecta animi tumultum et dolorem exprimit.

7. *Fulcire ruinas* Codd. omnes praeter Harlejanum, in quo *fulcire pruinas.* Scaliger *ruinas* explicat quasi *ruentem caelo aquae concretae et nivis stragem.* Sed Gronovius et Broukhusius negant *ruinas* pro *cæli ruinis*, seu grandine et nive de caelo cadente, recte dici. *Fulcire pruinas* est in pruina niti pedibus.

11. *Solvatur funis arena* habent Codd. *Arena* in hunc versum irrepsisse videtur, scribarum negligentia, ex disticho sequenti, ubi legitur *vacua patiatur in ora.*

14. *Infesta manu.* Intellige manum sibi, non Cynthiae, infestam. Nec mare turbatum, nec naufragium vel quidpiam aliud mali Propertius perjurae imprecatur.

17. Codd. *non videam.* Heinsius emendavit, et sensus requirit *tum* pro *non.* *Subsidere* venti dicuntur, cum placidum ventis stat mare. Somniant qui hic *subsidere* pro *esse in insidiis* exponunt.

19. Gron. *praevecta Ceraunia;* Neap. *provecta.* Hunc vocativum *praevecta* tuetur Scaliger, sed non omnibus persuadet. Obiter etiam notare juvat *provectas rates* reperiri in superiore versu. Beroaldus, utraque Aldina, Juntina, Gryphianae: *Ut te felici vectam per caerula remo.* Heinsius conjiciebat *post victa.* At Puccius exhibet *per saeva*, quod magis Propertianum est.

22. Gron. et Neap. *verba querar.* Nullus amor alterius puellae efficere poterit ut in aliquo quam in tuo limine conquerar; ad januam tuam querelas et lamentationes effundam.

25, 26. Codd. *Atraciis* et *Eleis;* cum Angelo Colotio et Antonio Perrejo Burmannus restituit *Autariis*, *Isseis.* Autarii erant populi Illyrici; Issa vero nota ejus maris insula, heu nunc nimium nota.

## ELEGIA VIII.

### AD EANDEM.

(Codd. Burmann. et Lachmann. 8 vel 9, I.)

Praecedenti hanc elegiam Codd. et maxima pars edd. adjungunt. Separandam esse docuit Lipsius (*Var. Lect.* II, 18); negavit Jacobius; Lachmannus disjunxerat. Et rectissime. Diversos enim et contrarios animi affectus describunt, rerum varietati respondentes; altera Cynthiam a navigatione in Illyricum exprobrationibus, querelis, blanditiis deterrere conatur; altera

votum exauditum exclamando narrat, et Cynthiam carminum obsequio victam, non auro, summis effert laudibus. Argumentum simile, sed tamen aliud est. *Vicimus*, *Tulit* non mediis in lamentationibus prioris elegiae puellam ab itinere destitisse ostendunt.

Hic erit! hic jurata manet! rumpantur iniqui!
  Vicimus! assiduas non tulit illa preces.
Falsa licet cupidus deponat gaudia livor:
  Destitit ire novas Cynthia nostra vias.
Illi carus ego et per me carissima Roma 5
  Dicitur, et sine me dulcia regna negat.
Illa vel angusto mecum requiescere lecto,
  Et quocumque modo maluit esse mea,
Quam sibi dotatae regnum vetus Hippodamiae,
  Et quas Elis opes ante pararat equis. 10
Quamvis magna daret, quamvis majora daturus,
  Non tamen illa meos fugit avara sinus.
Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis,
  Sed potui blandi carminis obsequio.
Sunt igitur Musae, neque amanti tardus Apollo: 15
  Quis ego fretus amo: Cynthia rara mea est.
Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis:
  Sive dies seu nox venerit, illa mea est;
Nec mihi rivalis certos subducet amores!
  Ista meam norit gloria canitiem. 20

17. *Contingere sidera plantis* est super sidera deambulare; differt ab Horatiano *Sidera vertice feriam* et a proverbio *Digito tangere coelum*. Citra necessitatem Heinsius emendabat: *contingere palmis*.

## ELEGIA IX.

### AD BASSUM.

(Codd. Burmann. et Lachmann. 4, I.)

Quid mihi tam multas laudando, Basse, puellas
  Mutatum domina cogis abire mea?

Quid me non pateris, vitae quodcumque sequetur,
  Hoc magis assueto ducere servitio?
Tu licet Antiopae formam Nycteidos, et tu 5
  Spartanae referas laudibus Hermionae,
Et quascumque tulit formosi temporis aetas:
  Cynthia non illas nomen habere sinet;
Nedum, si levibus fuerit collata figuris,
  Inferior duro judice turpis eat. 10
Haec sed forma mei pars est extrema furoris;
  Sunt majora, quibus, Basse, perire juvat:
Ingenuus calor, et multis decus artibus, et quae
  Gaudia sub tacita discere veste libet.
Quo magis et nostros contendis solvere amores, 15
  Hoc magis accepta fallit uterque fide.
Non impune feres! sciet haec insana puella,
  Et tibi non tacitis vocibus hostis erit.
Nec tibi me post haec committet Cynthia, nec te
  Quaeret: erit tanti criminis illa memor, 20
Et te circum omnes alias irata puellas
  Differet; heu! nullo limine carus eris.
Nullas illa suis contemnet fletibus aras,
  Et quicumque sacer, qualis ubique, lapis.
Non ullo gravius tentatur Cynthia damno, 25
  Quam sibi cum rapto cessat amore Deus,
Praecipue nostro. Maneat sic semper, adoro;
  Nec quidquam ex illa, quod querar, inveniam.

4. Gron. *vivere;* Neap. *ducere.*

8. Gron. *sinet;* Neap. *sinat.*

9. *Levibus figuris* intellige de puellis a Basso jactatis, non de formosis quas prisca tulit aetas.

13. Codd. *Ingenuus color*, id est color verus, non fucatus. Verum poeta jam pulcritudinem corporis celebraverat. Ayrmannus conjecerat *pudor*. Repone cum

Jacobio *ingenuus calor*, amor verus et candidus, non auro quaesitus, et confer cum superiore elegia.

14. Gron. et Neap. *gaudia dicere.* Romani hujus temporis gaudia suscepta *dicere* et jactare solebant, teste Catullo LV:

*Si linguam clauso tenes in ore,*
*Fructus projicies amoris omnes:*
*Verbosa gaudet Venus loquela;*

et Ovidio *Art. Am.* II: *Atque emitur magno nil nisi posse loqui.* Sed candide Propertius amabat, nec *ita dives erat* ut *magno emere* posset proloquendi insolentiam. Nonnulli Codd. *gaudia ducere* habent, quod invenustum est. Heinsius restituit *discere.*

16. Quo magis nos disjungere contendis, hoc magis uterque nostrum te fallit, qui constantes manemus in grata et accepta fide.

26. Nulla graviore afficitur injuria, quam cum Amorem, amantium Deum, tardum, desidem, deficientem videt, quando amicus sibi ereptus alio transfert calores.

27. Gron. et Neap. *praecipue nostri;* Commelinianus vero: *nostro*, quod praetulerunt Heinsius, Burmannus, Lachmannus, Keil. Agitur enim de amore Propertii, quem Bassus Cynthiae eripere studebat.

## ELEGIA X.

### AD CYNTHIAM. DE AEMULO.

(Codd. 24 et 25, Burm. 19, II; Lachm. 17 et 18, III.)

Haec cum undecima in Codd. duriter est permixta. Praeterea septem continet disticha ad tertiam Libri Tertii, quinque ad quartam, tria ad quintam Libri Secundi pertinentia. Eruditi viri jam pridem quae ad quartam et quintam Secundi Libri spectant, disjunxerunt; caetera in ordinem suum restituere studui. Elegiam autem in Primo Libro esse collocandam ex secundo disticho apparet.

Hoc erat in primis quod me gaudere jubebas?
Tam te formosam non pudet esse levem?
Una aut altera nox nondum est in amore peracta,
Et dicor lecto jam gravis esse tuo?
Me modo laudabas et carmina nostra legebas: 5
Ille tuus pennas tam cito vertit amor?

Nonne fuit melius duro servire tyranno,
  Et gemere in tauro, saeve Perille, tuo?
Gorgonio et satius fuit obdurescere vultu,
  Causasias etiam si pateremur aves. 10
Sed tamen obsistam: teritur rubigine mucro
  Ferreus, et parvo saepe liquore silex.
At nullo dominae teritur sub limine amor, qui
  Restat et immeritas sustinet aure minas;
Ultro contemptus rogat et peccasse fatetur, 15
  Laesus et invitis ipse redit pedibus.
Nil ego non patiar! nunquam me injuria mutat;
  Ferre ego formosam nullum onus esse puto.
Tu quoque qui pleno fastus adsumis amore,
  Credule, nulla diu femina pondus habet. 20
Illaque plebejo vel sit bombycis amictu,
  Haec atque illa mali vulneris una via est.
At vos qui officia in multos revocatis amores,
  Tantum non cruciat lumina vestra dolor!
Vidistis quamdam Argiva prodire figura: 25
  Vidistis nostras: utraque forma rapit.
At si saecla forent antiqua his grata puellis,
  Essem ego quod nunc tu: tempore vincor ego!
Non tamen ista meos mutabunt saecula mores:
  Unusquisque sua noverit ire via. 30
Credo ego non paucos ista periisse figura;
  Credo ego sed multos non habuisse fidem.
Parvo dilexit spatio Minoïda Theseus,
  Phillida Demophoon: hospes uterque malus.
Contendat mecum ingenio, contendat et arte, 35
  Imprimis una discat amare domo.
Si libitum tibi erit, Lernaeas pugnet ad hydras,
  Et tibi ab Hesperio mala dracone ferat;

Tetra venena libens et naufragus ebibat undas,
  Et nunquam pro te deneget esse miser: 4
(Quos utinam in nobis, vita, experiare labores!)
  Jam tibi de timidis iste protervus erit,
Qui nunc in tumidum jactando venit honorem;
  Discidium vobis proximus annus erit.
At me non aetas mutabit tota Sibyllae, 4
  Non labor Alcidae, non niger ille dies!

13. Gron. *At nullo de me teritur sublumine amor*, *ō*, (quae litera vel *que* vel *qui* significare potest) Alii Cod. pro *de me* perhibent *dominae;* pro *sublumine* vel *sublimine*, vel *sub limine*. In hujus corrupti loci explicatione et emen datione vehementissime aestuarunt viri docti. Scaliger *sublimen* connexa vo interpretabatur limen inferius domus; Perrejus observat: *sublimine*, *id e superbia*. Davisius emendavit: *molimine;* Heinsius: *sub limine amor*, *quin*. Jac bius magis audacter *nullo teritur spes limine*, *amorque*. Nihilominus lect codicum *sub limine amor* recte cum Passeratio defendi potest. *Sub* idem e ac *in; limen*, in quo amator exclusus jacet pernox, accipitur pro exclusion Gutta lapis teritur; at nulla exclusione et injuria teritur amor, qui restat, pe severat etc. Versus duriores et juncturae non molles in Propertio haud ra offenduntur. Laudanda tamen altera Heinsii conjectura: *At nullo dominae teri sub limine amator*.

21. Codd. *sandycis amictu*. Heimreichius notat secundam *sandycis* corrip et conjecit *bombycis;* quae ditiorum vestis apte plebejae opponitur.

22. Hic Codd. distichon exhibent:

Cum satis una tuis insomnia portet ocellis,
Una sit et cuivis femina multa mala;

quod Propertius scribere non potuit. Si quis servandum existimat, obniten sententia distichi duodecimi, durissimam locutionem minoris versus cum Burmann corrigat: *Una dat et cuivis femina multa mala;* vel potius: *Una sat est cuiv femina nata malum*. Sic Ovidius *Am.* II, 5: *Hei mihi perpetuum nata puel malum*.

24. Codd. *quantum sic cruciat*. At qui in multos amores officia revocan huc et illuc volitant, nec discunt unam amare, curis et angoribus veri amor non afficiuntur. Scripsi *Tantum non*.

27. Codd. *at si saecla forent antiquis grata puellis*. Interpretes explica per Hypallagen: *si saecula antiqua grata essent puellis*. Emendationem Ia

Dousae recipiendam censui: *antiqua his grata puellis*. *Saecula antiqua* sunt saecula antiquae fidei.

34. Hic codices habent distichon interpolatum:

Jam tibi Jasonia nota est Medea carina,
Et modo servato sola relicta viro.

Ex inepta orationis structura probabilem sententiam elicere nequeo. Minorem versum sibi vindicat Ovidius, *Art. Am.* III, 35: *Pavit in ignoto sola relicta loco.*

44. Gron. *dissidium;* Neap. verum servat *Discidium.*

## ELEGIA XI.

(Codd. 25, Burm. 19, II; Lachm. 18, III.)

In hoc omnium fere Propertii carminum dulcissimo plurima Codd. interserunt disticha, quae orationis ordinem et sententiarum cohaerentiam improbe turbant. In superiorem elegiam atque in tertiam Libri Tertii illa traduxi.

Unica nata meo pulcherrima cura dolori
(Excludi quoniam sors mea saepe venit)
Ista meis fiet notissima forma libellis,
Calve, tua venia, pace, Catulle, tua.
Miles depositis annosus secubat annis, 5
Grandaevique negant ducere aratra boves;
Putris et in vacua requiescit navis arena,
Et vetus in templo bellica parma vacat:
At me ab amore tuo deducet nulla senectus,
Sive ego Tithonus, sive ego Nestor ero. 10
Dura est quae multis simulatum fingit amorem,
Et se plus uni si qua parare potest.
Noli nobilibus, noli conferre beatis:
Vix venit extremo qui legat ossa die.
Ii tibi nos erimus: sed tu potius, precor, ut me 15
Demissis plangas pectora nuda comis.

Tu mea compones et dices: „Ossa, Properti,
„Haec tua sunt: heu heu tu mihi certus eras!
Certus eras heu heu, quamvis nec sanguine avito
Nobilis et quamvis haud ita dives eras." 20

2. *Saepe veni* habent Codd. Lachmannus proposuit *vehit*. Scripsi *venit* cum Paldamo. *Venire* pro *esse* recte dicitur.

9. *Deducit* Codd. *Diducet* ex Commeliano legendum esse plerique jubent; Jacobius probavit *deducere* etiam esse *abducere*.

13. Noli conferre, dare amorem tuum nobilibus et locupletibus, ut Passeratius recte explicat.

20. *Navita dives* Codd. unde fabula de Propertio nauta. Correxerunt Pontanus et Beroaldus *non ita dives;* Heinsius *haud ita*.

## ELEGIA XII.

### AD JOVEM. PRO AMICA AEGROTANTE.

(Codd. 28, Burm. 21, II; Lachm. 22, III.)

Codd. elegias XII, XIII et XIV male conglutinant (Neap. tamen XII a XIII separat); disjunxit Jacobius, qui optime vidit argumenti similitudine scribas in errorem inductos esse. In hac prima Propertius aegrotantem puellam teneris blanditiis, salibusque solatur, ei ne quid accideret nondum timens. — In Secundo Libro Codicum leguntur; at XXXI in Primo Libro collocandas esse monet; ibi enim poeta:

*Haec mihi vota tuam propter suscepta salutem,*
*Cum capite hoc Stygiae jam poterentur aquae.*

Juppiter, affectae tandem miserere puellae:
Tam formosa tuum mortua crimen erit.
Venit enim tempus, quo torridus aestuat aër,
Incipit et sicco fervere terra Cane.
Sed non tam ardoris culpa est, neque crimina caeli, 5
Quam toties sanctos non habuisse deos.
Hoc perdit miseras, hoc perdidit ante puellas:
Quicquid jurarunt, ventus et unda rapit.

Num sibi collatam doluit Venus ipsa, paremque?
  Per se formosis invidiosa dea est. 10
An contempta tibi Junonis templa Pelasgae?
  Palladis aut oculos ausa negare bonos?
Semper, formosae, non nostis parcere verbis:
  Hoc tibi lingua nocens, hoc tibi forma dedit.
Sed tibi vexatae per multa pericula, vita, 15
  Extremo veniet mollior hora die.
Io versa caput primos mugiverat annos:
  Nunc dea, quae Nili flumina vacca bibit.
Ino etiam prima terris aetate vagata est:
  Hanc miser implorat navita Leucotheën. 20
Andromede monstris fuerat devota marinis:
  Haec eadem Persei nobilis uxor erat.
Callisto Arcadios erraverat ursa per agros:
  Haec nocturna suo sidere vela regit.
Quod si forte tibi properarint fata quietem, 25
  Illa sepulturae fata beata tuae!
Narrabis Semelae, quo sit formosa periclo,
  Credet et illa suo docta puella malo;
Et tibi Maeonias inter heroidas omnes
  Primus erit, nulla non tribuente, locus. 30
Nunc, utcumque potes, fato gere saucia morem:
  Et deus et durus vertitur ipse dies.

v. 9. Neap. *illa peraeque;* Gron. *ipsa paremque*, quae est vera lectio. Cynthia se Veneri comparaverat et parem dixerat. — In v. 10. Codd. *prae se*, quasi Propertius dixisset Cynthiam Veneri forma praestare, cum illa tantum se Veneri parem fecisset. Hyperbole ultra modum esset, et hujus quoque tropi est servanda mensura quaedam. Lege cum Lachmanno *Per se.* Venus per se ipsa formosis invidet; quid mirum si sibi se conferentes et pares jactantes oderit puniatque?

15. Gron. et Neap. *vexatae per multa pericula vitae;* Puccius *vexata vita.* Reposui: *Sed tibi vexatae per multa pericula, vita.*

26. Gron. et Neap. *Illa sepulturae fata beata tuae;* Palatinus et Bononiensis

*ipsa. Fata* suspecta fuerunt Marklando et Lachmanno; ille conjecerat: *Ipsa, sepulturâ facta beata tuâ;* sed quinque *a* ingratiorem sonum reddunt. Lachmannus autem putat *fata* ex majore versiculo in minorem librariorum negligentia invecta esse, et scribit: *Ipsa, sepulturae sorte beata tuae.* At nihil mutandum arbitror. Sensus mihi videtur esse: quod si fata te obire voluerint, illa beata fata te manent post mortem, id est fata Inus, Andromedes et Callistus: Dea facta eris. Hoc idem fere dixit el. XIV Lib. Sec. *Quod si forte tuos vidisset Glaucus ocellos, Esses Ionii facta puella maris, Et tibi ob invidiam Nereides increpitarent.*

27. Codd. *quo sit formosa;* edd. vulg. *quo sis.*

## ELEGIA XIII.

### AD EUNDEM.

(Codd. 28, Burm. 21, II; Lachm. 22, III.)

Cynthia morbo absumitur; nil valent artes magicae; mors imminet. Amator desperans de eius salute Jovem iterum per apostrophen alloquitur et precatur: non unius, duorum misereatur: nam cum illa sibi moriendum.

Deficiunt magico torti sub carmine rhombi,
  Et tacet extincto laurus adusta foco;
Et jam Luna negat toties descendere caelo,
  Nigraque funestum concinit omen avis.
Hoc tibi vel potuit conjux ignoscere Juno? 5
  Frangitur et Juno si qua puella perit.
Una ratis fati nostros portabit amores
  Caerula ad infernos velificata lacus.
Si non unius, quaeso miserere duorum:
  Vivam, si vivet: si cadet illa, cadam. 10
Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebit,
  Narrabitque sedens longa pericla sua.
Pro quibus optatis sacro me carmine damno:
  Scribam ego: „Per magnum salva puella Jovem."

1. Rhombus saepe in incantationibus usurpabatur; pessimi vero ominis erat, si laurus in arae flammam conjecta crepitum non ederet. Initium carminis praeceps, et medias in res legentem transferens, gravem animi perturbationem,

dolorem et terrorem indicat. Hinc quoque subita illa in versu 5 ad Jovem conversio.

5. *Hoc* accusativo casu. Juno quae est conjux et nuptiis praesidet, hanc mortem tibi non ignoscet. Propertius Cynthiae mortem jam dixerat crimen Jovis in superiore elegia. Versui interrogandi signum apposui; alioquin *Non tibi* pro *Hoc tibi* scribendum foret. Apostrophen ad Jovem, qua in Codicibus concluditur elegia XII, huc revocare oportet, ut ea quae sequuntur, intelligantur.

## ELEGIA XIV.

### AD PROSERPINAM ET PLUTONEM.

(Codd. 28, Burm. 21, II; Lachm. 23, III.)

In melius res vertitur; Cynthia convalescit. Poeta Proserpinam et Plutonem invocat, ut haec clementia permaneat; inde, jam sollicitudinibus solutus, amatorias voluptates expetit a puella.

Haec tua, Persephone, maneat clementia, nec tu,
  Persephones conjux, saevior esse velis.
Sunt apud infernos tot milia formosarum:
  Pulchra sit in superis, si licet, una locis.
Vobiscum est Jole, vobiscum candida Tyro, 5
  Vobiscum Europe, nec proba Pasiphaë;
Et quot Eoa tulit tellus, quot Achaia formas,
  Et Beli et Priami diruta regna senis,
Et quaecumque erat in numero Romana puella,
  Occidit; has omnes ignis avarus habet. 10
Nec forma aeternum aut cuiquam est fortuna perennis:
  Longius aut propius, mors sua quemque manet.
Tu quoniam es, mea lux, magno dimissa periclo,
  Munera Dianae debita redde choros;
Redde etiam excubias divae nunc, ante juvencae; 15
  Votivas noctes et mihi solve decem.

3. *Infernos;* refer ad *locos* pentametri.

5. Gron. *Iole;* Neap. et Reg. *Ione*, uxor Thesei. Puccius: *Vobiscum Antiope.*

7. Gron. et Neap. *quot Troja tulit vetus et quot Achaia.* Offendit tautologia *Troja tulit*, quum in minore versu subsequantur *Priami regna.* Alii Codd. *Hioa*, *Hiona;* unde Scaliger reposuit *Iona* pro *Ionia;* quod exemplo caret. Wassenberghius conjecit *Phthia*, magis Achillis quam heroidum natalibus nobilis. Gruterus divinavit *quot Eoa.* Scripsi *tellus* pro *vetus.* Lucanus VII, 423: *Felices Arabes*, *Medique*, *Eoaque tellus.*

8. Codd. *Et Phoebi.* Quid hoc nomine facias, latet. Jacobius conjecit *Et Beli*, a quo quinquaginta Danai filiae appellatae fuerunt.

13. Gron. et Neap. *demissa periclo;* Leidensis II et Askewianus *dimissa;* quod cum Marklando, Schradero atque Hertzbergio praefero.

## ELEGIA XV.

### AD TULLUM.

(Codd. et Burm. 14, Lachm. 15, I.)

Tu licet abjectus Tiberina molliter unda
  Lesbia Mentoreo vina bibas opere,
Et modo tam celeres mireris currere lintres,
  Et modo tam tardas funibus ire rates,
Et nemus arte satas intendat vertice silvas, 5
  Urgetur quantis Caucasus arboribus;
Non tamen ista meo valeant contendere amori:
  Nescit Amor magnis cedere divitiis.
Nam sive optatam mecum trahit illa quietem,
  Seu facili totum ducit amore diem, 10
Tum mihi Pactoli veniunt sub tecta liquores,
  Et legitur rubris gemma sub aequoribus;
Tum mihi cessuros spondent mea gaudia reges!
  Quae maneant, dum me fata perire volent.
Nam quis divitiis adverso gaudet amore? 15
  Nulla mihi tristi praemia sint Venere!
Illa potest magnas heroum infringere vires,
  Illa etiam duris mentibus esse dolor.

Illa neque Arabium metuit transcendere limen,
  Nec timet ostrino, Tulle, subire toro, 20
Et miserum toto juvenem versare cubili:
  Quid relevant variis serica textilibus?
Quae mihi dum placata aderit, non ulla verebor
  Regna, nec Alcinoi munera despicere.

5. Codd. *Et nemus omne satas.* De silvis intra domorum septa agitur. Sed *omne* otiosum est. Ayrmannus conjiciebat *Et nemus ut tantas;* Lachmannus *Et nemus unde;* Jacobius *Et nemus omnisatas.* Mihi ante omnes probatur Fonteinii emendatio: *Et nemus arte satas*, quae rem ipsam declarat. — *Nemus intendat vertice silvas*, id est, extollat arborum cacumina; per hypallagen, uti ajunt.

13. Locum non satis perspicuum sic interpretor: mea gaudia mihi spondent, pollicentur, persuadent, reges ipsos non certaturos esse mecum de felicitate. Ultinam mihi integra maneant haec gaudia, quamdiu fata me vivere volent!

24. *Non ulla verebor Regna* Codd. Valde arridet Marklandi conjectura legentis *Lyda* pro *ulla*, ut Propertius innuat Croesi regnum.

## ELEGIA XVI.

### AD CYNTHIAM BAIIS CESSANTEM.

(Codd. et Burm. 11, Lachm. 12, I.)

Ecquid te mediis cessantem, Cynthia, Bajis,
  Qua jacet Herculeis semita litoribus,
Et modo Thesproti mirantem subdita regno,
  Proxima Misenis aequora nobilibus,
Nostri cura subit memores adducere noctes? 5
  Ecquis in extremo restat amore locus?
An te nescio quis simulatis ignibus hostis
  Sustulit e nostris, Cynthia, carminibus?
Atque utinam mage te remis confisa minutis
  Parvula Lucrina cymba moretur aqua; 10

Aut teneat clausam tenui Teuthrantis in unda
  Alternae facilis cedere lympha manu,
Quam vacet alterius blandos audire susurros
  Molliter in tacito litore compositam,
Ut solet amoto labi custode puella 15
  Perfida, communes nec meminisse deos!
Non quia perspecta non es mihi cognita fama,
  Sed quod in hac omnis parte timetur amor.
Ignosces igitur, si quid tibi triste libelli
  Attulerint nostri; culpa timoris erit. 20
Nam mihi non major carae custodia matris;
  Haud sine te vitae cura sit ulla meae.
Tu mihi sola domus, tu, Cynthia, sola parentes,
  Omnia tu nostrae tempora laetitiae.
Seu tristis veniam, seu contra laetus amicis: 25
  Quicquid ero, dicam: „Cynthia causa fuit."
Tu modo quam primum corruptas desere Bajas:
  Multis ista dabunt litora discidium;
Litora, quae fuerant castis inimica puellis.
  Ah pereant Bajae, crimen amoris aquae! 30

3. Gron. et Neap. *Et modo Thesproti;* alii *Et modo te spreti.* Sannazarus correxerat *Et modo te Prochytae*, a Prochyta insula, nunc *Procida.* Janus Parrhasius *te Protei.* Sed opt. codicum scriptura est bona; Thesprotus Thesprotiae in Epiro nomen dedit. Abantes vero, qui Thesprotiam incoluerant, in Magnam Graeciam et Campaniam pervenerant; hinc Thesprotus Abantum et Puteolanorum communis parens accipitur. Neminem latet has antiquas et reconditas eruditiones Propertio fuisse in summis deliciis.

5. Codd. *adducere.* Scaliger correxit *ah ducere.* Retineo *adducere* pro *ducere*, *traducere.* Cynthia Romam non revertitur. Amator inquit: Te, Baiis cessantem, ubi sita est via ab Hercule structa, — te, aequora proxima Miseno, quae regno Thesproti sunt proxima, mirantem, ullane cura tangit noctes traducere nostri memores? Ecquis minimus, extremus locus restat mihi in amore tuo?

11. Gron. *Teutantis in unda;* Neap. *tentantis.* Egregie emendavit Scaliger *Teuthrantis.* rivulus erat non procul a litore Bajano, qui postea evanuit.

12. Gron. et Neap. *alternae manu* pro *manui* habent. Vaticanus V, Heinsio probante, *alterna manu;* Mentelianus *alterne.*

18. Versum sic interpretor: Timeo, anxius sum, quia hic, Bajis, omnis amor, omnis amator est timendus. Bajana enim litora castis puellis inimica vocat et abominatur poeta versibus sequentibus.

21. Gron. *An mihi non;* Neap. *aut mihi sit.* Praetermittam doctorum virorum conjecturas post emendationem Schneidevini: *Nam mihi non.*

24. Lachmannus exponit: *tu es omne momentum laetitiae meae, bona et adversa nostrae laetitiae tempora.* Nam *tempus* secundam et adversam fortunam significat. Burmannus legebat: *omnia tu, nostrae* tempore *laetitiae,* h. e. tu eras mihi omnia, quum mea eras. Sic Ovidius — Heroid. XII: *qui nobis omnia solus eras.*

28. Gron. et Neap. *dabunt;* Bononiensis et Vossianus *dabant,* quod probavit Burmannus, et Lachmannus in contextu recepit.

29. Codd. *fuerunt;* Scaliger reposuit *fuerant.*

30. Vulg. edd. *Ah pereant Bajae, crimen amoris, aquae.* Interpunctionem mutavi, negans Propertium dixisse *Bajas aquas* pro *Bajanis aquis.*

## ELEGIA XVII.

### AD AMICUM.

(Codd. Burman 12, Lachm. 13, I.)

Amicus Propertium pungit quod incuriosius Romae moretur, Cupidinis clavo adfixus. Negat poeta: quamquam Cynthia Romae est, tanto a me disjungitur intervallo, quanto Hypanis, Scythiae fluvius, distat ab Eridano. Olim gratus ei erat; nunc est despectus. — Male hanc cum superiore Codices conjungunt; nec rectius Burmannus autumabat conscriptam fuisse ad amicum, qui Propertio exprobraverat quod moraretur Romae, dum Cynthia Bajis genio suo indulgeret.

Quid mihi desidiae non cessas fingere crimen,
  Quod faciat nobis Cynthia amore moram?
Tam multa illa meo divisa est milia lecto,
  Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.

Nec mihi consuetos amplexu nutrit amores 5
  Cynthia, nec nostra dulcis in aure sonat.
Olim gratus eram: non illo tempore cuiquam
  Contigit, ut simili posset amare fide.
Non sum ego, qui fueram; mutat via longa puellas;
  Quantus in exiguo tempore fugit Amor! 10
Invidiae fuimus: nunc me Deus obruit, atque
  Lecta Prometheis dividit herba jugis.
Nunc primum longas solus cognoscere noctes
  Cogor, et ipse meis auribus esse gravis.
Felix qui potuit praesenti flere puellae! 15
  Nonnihil adspersis gaudet Amor lacrimis.
Aut si despectus potuit mutare calores,
  Sunt quoque translato gaudia servitio.
Mi neque amare aliam neque ab hac discedere fas est:
  Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit. 20

2. Codd. *conscia Roma moram.* Passeratius interpretatur: Roma quae amoris tui est conscia. Verum ambigitur an *Roma conscia* id significare possit; ideo lectionem sanare conati sunt viri eruditi. Graevius et Heinsius: *quod faciat nobis Cynthia nostra notam;* Lipsius et Livinejus: *conscia Roma notam;* Henricus Keilius: *quod faciat Veneris conscia Roma moram;* Hertzbergius: *conscio amore moram.* Non plane satisfaciunt. In codice quem viderat Passeratius, legebatur *Cynthia Roma moram;* unde Fruterius conjecit: *Cynthia amore.* Emendationem retinui. Amicus notat Propertii desidiam, et Cynthiam nominat; poeta respondet: *Illa* tam longe a me divisa est, quantum etc.

8. Intelligo non de fide Propertii in Cynthiam, sed de fide Cynthiae erga poetam: nemini illo tempore contigit amare similem fidem experto.

11. In Codd. hoc distichon sexto anteponitur. Postposui, sententia jubente. — Neap. *non me Deus;* Gron. *n̄ me Deus,* (quae scriptura modo *non*, modo *nunc* significat); alii Codd. et vulg. edd. *num me.* Franciscus Modius ex Groningano scripserat *nunc me;* sic etiam Vossianus IV. Retinui *nunc*, rejecta interrogatione. — Deinde Gron. et Neap. *an quae;* alii Codd. *aut quae.* Puccius et Rheg. *atque.*

# ELEGIA XVIII.

## DEFLETUR MORS MARCELLI.

(Codd. 18, Burm. 16, III; Lachm. 17, IV.)

Periit Marcellus anno a. u. c. DCCXXXI; quapropter elegiam a Tertio in Primum Librum trajeci.

Clausus ab umbroso qua allidit pontus Averno,
  Fumida Bajarum stagna tepentis aquae,
Qua jacet et Trojae tubicen Misenus arena,
  Et sonat Herculeo structa labore via,
Hic, ubi, mortalis dexter cum quaereret urbes, 5
  Cymbala Thebano concrepuere deo:
At nunc, invisae magno cum crimine Bajae,
  Quis deus in vestra constitit hostis aqua?
His pressum Stygias Puerum demisit in undas,
  Errat et in vestro spiritus ille lacu. 10
Quid genus, aut virtus, aut optima profuit illi
  Mater, et amplexum Caesaris esse focos?
Aut modo tam pleno fluitantia vela theatro,
  Et per maternas omnia gesta manus?
Occidit, et misero steterat vigesimus annus! 15
  Tot bona tam parvo clausit in orbe dies.
I nunc, tolle animos, et tecum finge triumphos,
  Stantiaque in plausum tota theatra juvent;
Attalicas supera vestes, atque omnia magnis
  Gemmea sint ludis: ignibus usta dabis. 20
Sed tamen hoc omnes; hoc primus et ultimus ordo:
  Est mala, sed cunctis ista terenda via est.
Exoranda canis tria sunt latrantia colla,
  Scandenda est torvi publica cymba senis.
Ille licet ferro cautus se condat, et aere: 25
  Mors tamen inclusum protrahit inde caput.

Nirea non facies, non vis exemit Achillem,
Croesum aut, Pactoli quas parit humor, opes.
At tibi, nauta, pias hominum qui trajicis umbras,
Huc animae portent corpus inane suae: 30
Qua Siculae haec victor telluris Claudius, et qua
Caesar ab humana cessit in astra via.

1. Codd. fere omnes *qua ludit;* Puccius *allidit*, hoc est impingendo laedere, frangere. Cui lectioni favet Virgiliana descriptio, Georg. II:

*An memorem portus Lucrinoque addita claustra*
*Atque indignatum magnis stridoribus aequor,*
*Julia qua ponto longe sonat unda refuso,*
*Tyrrhenusque fretis immittitur aestus Avernis?*

2. Codd. *Humida stagna;* Scaliger restituit *Fumida.*

5. Gron. *mortales dextra;* Neap. *mortalis dexter;* sic etiam Codd. Colbertinus et Hamburgensis; quae lectio omnino est praeferenda. *Dexter*, propitius; *mortalis*, adhuc mortalis, nondum factus deus. Deinde Gron. et Neap. *cum quaereret urbes*, et sic maxima pars librorum scriptorum. Interpretes exponunt: *cum expugnaret.* Sed quas in Campania urbes Hercules expugnaverit, non satis liquet; contra nemo nescit Pompejos et Herculanum eum condidisse. Et revera Colotianus, Vaticanus I, Vaticanus II et Perrejus habent *conderet*, jam a Beroaldo divinatum. Ego Groninganam et Neapolitanam scripturam non mutavi; sed *quaerere* non intelligo de *expugnando;* verum suas facere dextero, felici omine; et sic etiam de Pompeis et Herculano, quas condiderat, interpretari licebit.

6. *Cymbala.* Thebanus Deus, seu Hercules, qui redux ex Hispania post Geryonem victum Pompejis triumphavit, cymbalis crepitantibus colebatur.

9. Codd. *His pressus Stygias vultum.* Guyetus et Heinsius suspicabantur aliquid deesse huic elegiae, quia nomen Marcelli nusquam exprimitur. Vulnus latet sub vocabulo *vultum*, quod sanabit, nisi me fallit, emendatio in contextu recepta. Marcellus obiit vigesimum annum aetatis agens; sed *puer* etiam dicitur qui XV annum excessit; et Cicero *puerum egregium* vocat Octavianum qui exercitum collegerat privato consilio et pecunia, undeviginti annos natus. V. *Forcellinii* Lexicon. — Gron. et Neap. *demisit;* Palatinus I et Vossianus V *demersit.* Sensus est: Deus hic inimicus Marcellum, pressum ab aquis vestris, demisit, demersit in undas Stygias, et spiritus ille noxius adhuc errat in vestro lacu.

21. Gron. *Sed tamen hoc omnes;* caeteri *huc omnes.* Nos omnes hoc manet rogi flamma.

28. Post hunc versum in Codd. sequitur distichon:

Hic olim ignaros luctus populavit Achivos,
Atridae magno cum stetit alter amor.

In loco non esse suo optime sensit Scaliger, eique aliam sedem quaesivit. Interpolatum potius judicandum est. In margine veteris codicis quondam confictum ad ingenii exercitationem, in contextum, sententia adversante, irrepsit, librariorum inscitia.

30. Codd. *animae tuae*. Viri docti correxerunt *suae*.

32. Codd. *Qua Siculae victor*. Adjecta vocula *haec*, a librariis forsan omissa, perspicua fit sententia: At tibi, Charon, portabunt tantum corpus inane animae suae; haec in coelum abiit, quo jam Claudius Marcellus et Julius Caesar. Nam Octaviae filius in Juliam familiam adoptatus fuerat.

## ELEGIA XIX.

### DE PANTHO.

(Codd. 21, Burm. 17, II; Lachm. 13, III.)

Legitur in Secundo Libro ante XII, XIII et XIV. Contrarium admonet versus 20. Iste *superbus* Panthus, *qui nihil aliud quam gloriam de Cynthia* quaerit, qui versiculos condit, qui uxorem habet, idem videtur quem vellicat elegia X.

At quantum de me Panthi tibi pagina finxit,
Tantum illi Pantho ne sit amica Venus!
Sed tibi jam videor Dodona verior augur?
Uxorem ille tuus pulcher amator habet.
Tot noctes periere! nihil pudet? aspice, cantat 5
Liber: tu nimium credula sola jaces.
Et nunc inter eos tu sermo es; te ille superbus
Dicit se invito saepe fuisse domi.
Dispeream si quidquam aliud quam gloria de te
Quaeritur: has laudes ille maritus habet. 10
Colchida sic hospes quondam decepit Iason:
Ejecta est: tenuit namque Creusa domum.
Sic a Dulichio juvene est elusa Calypso:
Vidit amatorem pandere vela suum.

Ah nimium faciles aurem praebere puellae, 15
Discite desertae non temere esse bonae.
His quoque qui praestet, jam pridem quaeritur alter!
Experta in primo, stulta, cavere potes.
Nos quocumque loco, nos omni tempore tecum
Sive aegra pariter sive valente sumus. 20

1. *Paginam* de carminibus viri docti intelligunt. Rivalem, quem lacessit elegia X, Propertius sic provocabat: *Contendat mecum ingenio, contendat et arte.*

3. Irrisionis interrogatio. Nonne id tibi praedixi? nonne videor tibi certior vates oraculo Dodonaeo?

8. *Domi* intellige domum Cynthiae.

12. Sic Groninganus. Neap. *tenuit namque Creusa domo.* Mendosum esse locum non immerito suspicantur: Creusa enim non tenuit domum Iasonis, cum ipso nuptiarum die exarserit. Ruhnkenius conjiciebat: *Ejectae tenuit namque Creusa locum;* saepe enim in libris scriptis *domum, locum, torum* commutantur. Temerarius divinator scriberet: *Ejectae scandit namque Creusa torum.*

13. Gron. *est delusa;* Neap. *est elusa.*

17. Gron. *Hinc quoque qui restet;* Neap. *Huic;* alii Codices *Hic* vel *Nunc.* In Excerptis Scaligeri legitur *praestat* pro *restet.* Locus anceps et lubricus, ne aliud dicam, varie fuit a Criticis agitatus atque expolitus. Broukhusius: *Nunc quoque qui restet;* qui maneat, constanter amet. Burmannus: *Nunc quoque quid restat?* quid reliquum est? quid agendum? Lachmannus: *Huic quoque quí restat?* huic perfido quid opponit? Jacobius: *Hinc quoque quí restat?* ita delusa quomodo amoris illecebris resistit? Hertzbergius: *Huic quoque qui restat,* et exponit: Cynthia jam quaerit alterum amatorem, *quem in talem eventum sibi quodammodo reservaverat.* Quibus omnibus tentaminibus obstat, ni fallor, invenustum et molestum illud *restat.* Majoris versus obscuritas et scripturarum varietas ambigere jubent utrum distichon sit Propertianum an suppositum; certe, si de pentametro inquirimus, Panthus primus dici non poterat, cujus fallaciam Cynthia experta erat, cum elegia II puellam desertam ab amatore, qui Africanum lucrum illi praetulerat, nobis ostendit. Si distichum tollas, sensus non laborabit. Quomodocumque se res habeat, vestigiis antiquarum lectionum insistens, meam quoque emendationem concinnavi: *His quoque qui praestet.* Sensus erit: jam a longinquo tempore (quasi diceret perperam, frustra) quaeritur a puellis alter, qui desultoribus istis praestet (Iasoni, Ulixi). In majore versu generatim de perjuris loquitur; in altero oratio ad Cynthiam convertitur.

# ELEGIA XX.

## AD CYNTHIAM.

(Codd. et Burm. 19, Lachm. 20, 1.)

Non ego nunc tristes vereor, mea Cynthia, Manes,
  Nec moror extremo debita fata rogo;
Sed ne forte tuo careat mihi funus amore,
  Hic timor est ipsis durior exsequiis.
Non adeo leviter nostris Puer haesit ocellis, 5
  Ut meus oblito pulvis amore vacet.
Illic Phylacides jucundae conjugis heros,
  Non potuit caecis immemor esse locis;
Sed cupidus falsis attingere gaudia palmis,
  Thessalis antiquam venerat, umbra, domum. 10
Illic, quicquid ero, semper tua dicar imago:
  Trajicit et fati litora magnus amor.
Illic formosae veniant chorus heroinae,
  Quas dedit Argivis Dardana praeda viris;
Harum nulla tua fuerit mihi, Cynthia, forma 15
  Gratior: et Tellus hoc ita justa sinat.
Quamvis te longae remorentur fata senectae,
  Cara tamen lacrimis ossa futura tuis!
Quae si, vita, mea possim sentire favilla,
  Tum mihi non ullo mors sit amara loco. 20
Quam vereor, ne te contempto, Cynthia, busto,
  Abstrahat a nostro pulvere iniquus Amor,
Cogat et invitam lacrimas siccare cadentes!
  Flectitur assiduis certa puella minis.
Quare, dum licet, inter nos laetemur amantes, 25
  Non satis est ullo tempore longus amor.

15. Codd. *Quarum*. Heinsius correxit *Harum;* praecedit enim *quas*.

16. Codd. *Tellus* id est Inferi dii. Burmannus conjecerat *Venus;* Venus enim, judice Propertio, *Per se formosis invidiosa Dea est.*

18 et 19. Codd. in v. 18: *lacrimis meis;* in 19: *quae tu viva mea possis sentire favilla.* Critici exponunt: Propertius ait, se mortuum excepturum Cynthiam cum lacrimis, etiamsi illa post multos annos ad umbras sit discessura, et optare ut Cynthia viva sentiat in ipsis amatoris cineribus quantum vel a mortuo ametur. Taedet e suavissimo carmine tam tortas sententiolas exprimere. Satius erit scripturae vitia fateri et demere. Scaliger correxit *lacrimis tuis* pro *meis;* Passeratius in vetere suo Cod. invenit: *Quod si in te me possim;* excerpta Modii habent: *Quae tu viva.* Reposui: *Quae si, vita, mea possim sentire favilla.* Quamvis longa dies te in terris detineat, semper tamen sepulcrum meum, ossa mea sint tibi cara et lacrimis tuis foveantur. Quae (id est amorem tuum erga me) si ego sentire possim e cineribus meis, tum nullo mihi loco, nullo tempore mors erit amara.

21. *Quam vereor;* subintellige *at, sed.*

24. *Certa puella,* constans, fida. Alibi Propertius: *Heu, heu tu mihi certus eras. Certus eras heu, heu.* Lib. Prim. XI, v. 18, 19. *Quid si non constans illa et tam certa fuisset.* Lib. Sec. XXX, v. 11.

## ELEGIA XXI.

### AD CYNTHIAM.

(Codd. et Burm. 15, Lachm. 16, I.)

Saepe ego multa tuae levitatis dura timebam,
  Hac tamen excepta, Cynthia, perfidia.
Adspice me quanto rapiat Fortuna periclo:
  Tu tamen in nostro lenta timore venis;
Et potes hesternos manibus componere crines, 5
  Et longa faciem quaerere desidia,
Nec minus Eois pectus variare lapillis,
  Ut formosa novo quae parat ire viro.
At non sic Ithaci digressu mota Calypso
  Desertis olim fleverat aequoribus: 10
Multos illa dies incomptis moesta capillis
  Sederat, injusto multa locuta salo;

Et, quamvis nunquam post haec visura, dolebat
  Illa tamen, longae conscia laetitiae.
Nec sic Aesoniden rapientibus anxia ventis 15
  Hypsipyle vacuo constitit in thalamo:
Hypsipyle nullos post illos sensit amores,
  Ut semel Haemonio tabuit hospitio.
Alphesiboea suos ulta est pro conjuge fratres,
  Sanguinis et cari vincula rupit amor; 20
Conjugis Evadne mixtos laetata per ignes
  Occidit, Argivae fama pudicitiae.
Quarum nulla tuos potuit convertere mores,
  Tu quoque uti fieres nobilis historia.
Desine jam revocare tuis perjuria verbis, 25
  Cynthia, et oblitos parce movere deos:
Audax ah nimium, nostro dolitura periclo,
  Si quid forte tibi durius inciderit.
Muta prius vasto labentur flumina ponto,
  Annus et inversas duxerit ante vices, 30
Quam tua sub nostro mutetur pectore cura:
  Sis quodcumque voles, non aliena tamen.
Nam mihi ne viles isti videantur ocelli,
  Per quas saepe mihi credita perfidia est!
Hos tu jurabas, si quid mentita fuisses, 35
  Ut tibi suppositis exciderent manibus:
Et contra magnum potes hos attollere Solem,
  Nec tremis admissae conscia nequitiae?
Quis te cogebat multos pallere colores,
  Et fletum invitis ducere luminibus? 40
Quîs ego nunc pereo, similes moniturus amantes:
  „O nullis tutum credere blanditiis!"

5. Gron. *externos*, h. e. comas adscititias; Neap. *hesternos*. heri incompositos.

Cynthia gaudebat *ire superba laudatis comis* et *capillis ad frontem sparsis.* V. Eleg. I, v. 7, 8. Lib. Sec.

15. In Codd. hoc distichon legitur post versus 19, 20. Trajectionem proposuerunt Marklandus et Schraderus.

21. Codd. omnes: *Evadne miseros elata.* Scriptura non sincera, si quid sentio. *Miseri ignes*, Hemsterhusii venia sit dictum, non hic Propertii ingenio conveniunt, quod ab epithetis tritis et, uti dicam, proprio poetico lumine carentibus abhorrere solet. *Elata* autem, judice Lachmanno, Evadne nusquam est, quae se vivam in mariti rogum praecipitaverat. Heinsius, pro *miseros*, correxit et Broukhusius in contextu recepit *seros*, i. e. ultimos, supremos rogos; quod paucis placuit. At Burmannus felicissima divinatione, plurimis exemplis firmata ab ipso Propertio, Ovidio, Statio, Claudiano et Seneca depromptis, docuit scribendum esse *mixtos*, ad significandos Eoarum conjugum mores, quae vivae se maritalibus flammis ultro miscebant. Post haec Petrus Perlkampius, acerrimi ingenii vir, quem in locis spuriis investigandis vatem cum Plinio diceres, restituit *laetata* pro *elata.* Robertus Ungerus, cujus *Propertiana Analecta* modo nunc in manibus habui, quum plagulas jam prelis traditas corrigerem, locum ita concinnavit: *miscere os laeta;* nulla tamen Burmannianae disquisitionis facta commemoratione. Magis placent Batavorum emendationes.

29. Codd. *Multa prius;* Muretus emendavit *muta.* Lege *Versa*, si te repetitio ejusdem vocis — *inversas vices* — non laedat. Ovidius *Heroid.* V: *Ad fontem Xanthi versa recurret aqua.*

33. Codd. *Quam mihi;* Ernestus Schulzius emendavit *nam:* Te semper amabo, sis quodcumque voles; absit enim ut oculos istos contemnam, quamquam perfidiae tuae ministros.

## ELEGIA XXII.

### AD CYNTHIAM.

(Codd. 20, Burm. 16, II; Lachman 12, III.)

Propertium haec non conscripsisse, dum illas expetebat *quas Euphrates et quas mittit Orontes*, monet jusjurandum: *Ossa tibi juro per matris et ossa parentis; Si fallo, cinis heu sit mihi uterque gravis.* Itaque a Secundo in Primum Librum carmen revocavi, cui restituenda sunt disticha 18, 19 et 20, extra sedem vagantia post XXVII elegiam.

Quid fles abducta gravius Briseide? quid fles
Anxia captiva tristius Andromacha?

Quidve mea de fraude deos, insana, fatigas?
  Quid quereris nostram sic cecidisse fidem?
Non tam nocturnis volucris funesta querela 5
  Attica Cecropiis obstrepit in foliis,
Nec tantum Niobe, bis sex ad busta, superba
  Sollicito lacrimas defluit a Sipylo!
Me licet aeratis astringant brachia nodis,
  Sint mea vel Danaes condita membra domo, 10
In te ego et aeratas rumpam, mea vita, catenas,
  Ferratam Danaes transiliamque domum.
De te quodcumque ad surdas mihi dicitur aures:
  Tu modo ne dubita de gravitate mea.
Ossa tibi juro per matris et ossa parentis, 15
  (Si fallo, cinis heu sit mihi uterque gravis!)
Me tibi ad extremas mansurum vita tenebras:
  Ambos una fides, auferet una dies.
Quod si nec nomen, nec me tua forma teneret,
  Posset servitium mite tenere tuum! 20
Nec mihi muneribus nox ulla est empta beatis:
  Quidquid eram, hoc animi gratia magna tui.
Cum te jam multi peterent, tu me una petisti:
  Possum ego naturae non meminisse tuae?
Tum me vel tragicae vexetis Erynnyes, et me 25
  Inferno damnes, Æace, judicio,
Atque inter Tityi volucres mea poena vagetur,
  Tumque ego Sisyphio saxa labore geram.
Septima jam plenae deducitur orbita lunae,
  Cum de me et de te compita nulla tacent; 30
Interea nobis non unquam janua mollis,
  Non umquam lecti copia facta tui.
Nunc tu supplicibus me sis venerata tabellis:
  Ultima talis erit, quae mea prima fides.

Sidera sunt testes et matutina pruina 35
Et furtim misero janua aperta mihi;
Te nihil in vita nobis acceptius unquam:
Nunc quoque eris, quamvis sis inimica mihi:
Nec domina ulla meo ponet vestigia lecto;
Solus ero, quoniam non licet esse tuum. 40

7. Gron. *superbae;* Neap. *superbe;* Puccius *superba.* Niobe olim superba, nunc flebilis. — Ver. 8 *defluit* transitive.

14. *Gravitate*, constantia; quasi levitati opponatur.

21. Versus 29, 30, 31, 32 hic Codices collocant.

27. Verser, vager inter volucres Tityi; poena mea sit poena Tityi.

29. *Orbita lunae.* Luna pro diei spatio est intelligendum, quod jam Passeratius viderat. Fortasse sincera lectio est: *orbita lucis.*

31. Gron. *non nunquam;* Neap. *non umquam.*

33. Codd. *Nec tu.* Verisimiliter intelligunt Cynthiam pugillares ad Propertium misisse, in quibus de ejus perfidia querebatur. Sed et alios mecum forsan pertaesum erit *supplicium* tabellarum, quibus Cynthia *veneratur* Propertium. Emendavi *Nunc tu supplicibus me sis venerata tabellis. Me*, pro *a me. Venerata*, passive, sicuti in Horatio sat. II, 2, 124: *At venerata Ceres, ita culmo surgeret alto, Explicuit etc.*

34. Post haec Neap. et caeteri Codd. habent distichon:

Hoc mihi perpetuum jus est, quod solus amator,
Nec cito desisto, nec temere incipio.

At deest in Groningano, et a Friderico Jacobio interpolatum judicatur. Cum sex versus sequentes extra sedem vagarentur, distichon satis ineptum confictum censeo imperita manu, ut carmini non ineptum finem imponeret. Illo omisso omnia cohaerent, nihil desideratur.

## ELEGIA XXIII.

### LAMENTATUR SOLUS.

(Codd. et Burm. 18, Lachm. 19, I.)

Roma profectus, in locis desertis versatur. Saxis, silvis, fontibus dolores suos confidit, et suavissimis querimoniis amicam iratam permovere conatur.

Haec certe deserta loca et taciturna querenti,
Nec vacuum Zephyri possidet aura nemus.

Hic licet occultos proferre impune dolores,
  Si modo sola queant saxa tenere fidem.
Unde tuos primum repetam, mea Cynthia, fastus? 5
  Quod mihi das flendi, Cynthia, principium?
Qui modo felices inter numerabar amantes,
  Nunc in amore tuo cogor habere notam.
Quid tantum merui? quae te mihi crimina mutant?
  An nova tristitiae causa puella tuae? 10
Sic mihi te referas, levis, ut non altera nostro
  Limine formosos intulit ulla pedes!
Quamvis multa tibi dolor hic meus aspera debet,
  Non ita saeva tamen venerit ira mea,
Ut tibi sim merito semper furor, et tua flendo 15
  Lumina dejectis turpia sint lacrimis.
An, quia parva damus mutato signa calore,
  Et non ulla meo clamat in ore fides?
Vos eritis testes, si quos habet arbor amores,
  Fagus, et Arcadio pinus amica deo! 20
Ah quoties teneras resonant mea verba sub umbras,
  Scribitur et vestris Cynthia corticibus!
At tua quot peperit nobis injuria curas,
  Haec solum tacitis cognita sunt foribus.
Omnia consuevi timidus perferre superbae 25
  Jussa, neque arguto facta dolore queri.
Pro quo, decidui fontes, et frigida rupes,
  Et datur inculto tramite dura quies;
Et, quodcumque meae possunt narrare querelae,
  Cogor ad argutas dicere solus aves. 30
Sed qualiscumque es, resonent mihi Cynthia silvae,
  Nec deserta tuo nomine saxa vacent.

2. Codd. *Et vacuum.* Fonteinius emendavit *Nec.* Nec Zephiri quidem aura possidet hoc nemus et haec deserta loca; venti nempe, si nemus possiderent,

efferre possent silenda; saxa vero fidem tenebunt, erunt *taciturna* lamentanti.

9. Codd. *carmina;* Puccius *crimina.*

11. *Levis* cum Passeratio interpretor: nimis credula, nimis faciles aures praebens rumoribus. Alii contra, intelligunt lenem, benignam: O tu, tandem pacata, sic te referas mihi, ut etc.

15. Ut jure meritoque sim causa tui furoris, irae tuae.

17. Neap. *colore;* Gron. *calore;* hoc est: an quia damus parva signa *amoris* propter *amorem* alio translatum.

21. *Teneras umbras*, ramos. Virgilius Georg. I, 157: *ruris opaci Falce premes umbras.*

23, 24. Codd. *An tua quod peperit nobis injuria curas*, *Quae solum* etc. Recentiores Critici de hac lectione ne verbum quidem. Attamen *an* et *quod* sensum perturbant. Lipsius correxerat: *At tua quot peperit nobis* etc. In minore versu pro *Quae* reposui *Haec*, neutrius generis.

26. Gron. et Neap. *facta;* alii Codd. et vulg. edd. *ficta.* Propertius *facta*, non *ficta* querebatur; scilicet Cynthiae *quot peperit injuria curas* et *omnia jussa superbae* tacitus perferebat.

27. Codd. *divini fontes.* Fontes et divinos fontes ab hoc loco alienos esse senserunt viri docti. Ideo Heinsius: *dumosi montes;* Marklandus: *Dí, nudi montes;* Lachmannus: *Dí, nivei montes.* Libentius Fonteinii emendationem recepi: *decidui fontes*, aquae ab alto cadentes, a frigidis rupibus.

## ELEGIA XXIV.

### DE EXCLUSIONE.

(Codd. 17 et 18, Burm. 13 et 14, II; Lachm. 8 et 9, III).

Jam pridem Livinejo haec et sequens elegia, quas Codd. in Secundo Libro inserunt, conjungendae videbantur ejusque monitum secutus sum, mutato distichorum ordine. Carmen in Primum Librum transtuli. Apparet enim ex distichis 23 et 29, Propertium deplorare primam exclusionem, antequam totum per annum pulsus fuisset.

Mentiri noctem, promissis ducere amantem,
  Hoc erit infectas sanguine habere manus.
Horum ego sum vates, quoties desertus amaras
  Explevi noctes, fractus utroque toro.
Quem modo felicem, invidia admirante, ferebant, 5
  Nunc decimo admittor vix ego quoque die.

Nec juvat in triviis sicca requiescere luna,
  Aut per rimosas mittere verba fores;
Nunc jacere e duro corpus licet, impia, saxo,
  Sumere et in nostras tetra venena manus! 10
Quid si jam canis aetas mea candeat annis,
  Et faciat scissas languida ruga genas?
At non Tithoni spernens Aurora senectam
  Desertum Eoa passa jacere domo est.
Illum ad vicinos cum amplexa quiesceret Indos, 15
  Maturos iterum est questa redire dies.
Illum saepe suis decedens fovit in ulnis,
  Quam prius adjunctos sedula lavit equos.
Illa deos cursum conscendens dixit iniquos,
  Invitum et terris praestitit officium; 20
Cui majora senis Tithoni gaudia vivi,
  Quam gravis amisso Memnone luctus erat.
Vel tu Tantalea moveare ad flumina sorte,
  Ut liquor arenti fallat ab ore sitim;
Vel tu Sisyphios licet admirere labores, 25
  Difficile ut toto monte volutet onus;
Durius in terris nihil est quod vivat amante,
  Nec, modo si sapias, quod minus esse velis.
Quod quamvis ita sit, dominam mutare cavebo:
  Tum flebit, cum in me senserit esse fidem. 30
Assiduae multis odium peperere querelae:
  Frangitur in tacito femina saepe viro.
Si quid vidisti, semper vidisse negato;
  Aut si quid doluit forte, dolere nega.
Quin ego deminuo curam, quod saepe Cupido 35
  Huic malus esse solet, cui bonus ante fuit.

7. Codd. *Nec licet in triviis.* Cur non? dic sodes. Mittendis verbis *per fores rimosas* hominem prohibere potuissent custodes domi Cynthiae appositi, de quibus

nonnulli nugantur; verumtamen impedire non poterant quominus noctu, *sicca luna*, requiesceret in triviis. Cum Hertzbergio repono *juvat*, depromptum e sequenti disticho.

9. Codd. *juvat impia*. Scribe *licet*, quod errore in alterum distichum abierat.

10. Codd. *trita venena;* Puccius *tetra*.

11. Gron. *candeat;* Neap. *canesceret;* Scaliger scripsit *caneret*.

17. Codd. *in undis;* Scaliger restituit *in ulnis*.

18. *Lavit adjunctos equos* idem est ac *lavit et adjungit equos*. Aurora domum non redit, sed discedit, *decedit*.

26. Hic codices:

Cum sene non puduit talem dormire puellam
Et canae toties oscula ferre comae.
At tu etiam juvenem odisti me, perfida, cum sis
Ipsa anus haud longa curva futura die.

Mecum perpende et mirare venustatem et copiam locutionum: *talem puellam; canae comae* post *canas comas; cum sene* post *senectam* et *senem*. De postremo versu nil prorsus dicam. Versiculi Massimiano digni, e Propertianis ejiciuntor. — In scriptis atque editis libris post hos leguntur versus 31 et 32. — Vide adnotationem.

30, 31. Duorum versuum fides mihi suspecta est. In codicibus nullo sententiarum nexu vel tenuissimo cum antecedentibus cohaerent, et in contextu meo a moerore totius carminis dissident. Sed cum non raro subita haec et inopinata hilaritatis lumina in hoc poeta inveniantur, eos expungere nolui.

## ELEGIA XXV.

### AD CYNTHIAM.

(Codd. 5, Burm. 4, Lachm. 5, II).

De discessu loquitur; et reapse discessisse ex elegia XXXII liquet. Igitur carmen ex Secundo Libro in Primum transtuli.

Hoc verum est tota te ferri, Cynthia, Roma,
Et non ignota vivere nequitia?
Haec merui sperare? dabis mihi, perfida, poenas,
Et nobis aliquo, Cynthia, ventus erit.
Inveniam tamen e multis fallacibus unam, 5
Quae fieri nostro carmine nota velit,

Nec mihi tam duris insultet moribus, et te
  Vellicet! heu sero flebis amata diu.
Nunc est ira recens, nunc est discedere tempus:
  Si dolor abfuerit, crede, redibit Amor. 10
Non ita Carpathiae variant Aquilonibus undae,
  Nec dubio nubes vertitur atra Noto,
Quam facile irati verbo mutantur amantes.
  Dum licet, injusto subtrahe colla jugo!
Nec tu non aliquid, sed prima nocte dolebis: 15
  Omne in amore malum, si patiare, leve est.
At tu, per dominae Junonis dulcia jura,
  Parce tuis animis, vita, nocere tibi.
Non solum taurus ferit uncis cornibus hostem,
  Verum etiam instanti laesa repugnat ovis. 20
Nec tibi perjuro scindam de corpore vestem,
  Nec mea praeclusas fregerit ira fores,
Nec tibi connexos iratus carpere crines,
  Nec duris ausim laedere pollicibus.
Rusticus haec aliquis tam turpia praelia quaerat, 25
  Cujus non hederae circuiere caput.
Scribam igitur, quod non unquam tua deleat aetas:
  CYNTHIA FORMA POTENS, CYNTHIA VERBA LEVIS.
Crede mihi, quamvis contemnas murmura famae,
  Hic tibi pallori, Cynthia, versus erit. 30

4. Codd. *Et nobis Aquilo.* Quid nam de hoc vento interpretes vel doctissimi non hariolati sunt? Legas censeo Burmanni adnotationem, qui proposuit *alio*, ex quo *aliquo* factum fuit, deinde *Aquilo. Ventus* hic figurate sumiiur pro fortuna secunda, *flatus in amore secundo*, sicuti alibi dixit Noster.

8. Gron. et Neap. *Vellicet;* Rheg. et Mentelianus *Vendicet;* Ferrejus et Heinsianus *Vindicet.*

18. *Animis*, i. e. fastu, arrogantia.

28. *Cynthia verba levis*, Graeco more: in verbis levis et variabilis, uti jam explanaverat Io. I. Pontanus. Male in quibusdam Codd. et in vulg. edd. *Cynthia forma levis.*

# ELEGIA XXVI.

## DE RIVALI.

(Codd. 9, Burm. 7, Lachm. 10, II.)

ille, qui Cynthiam *prius reliquit* et nunc *petitur*, Praetor esse videtur, redux ex Illyria; proinde elegia exarata fuit ante discidium.

Iste quod est, ego saepe fui, sed fors et in hora
  Hoc ipso ejecto carior alter erit.
Penelope poterat bis denos salva per annos
  Vivere, tam multis femina digna procis;
Conjugium falsa poterat differre Minerva, 5
  Nocturno solvens texta diurna dolo;
Visura et quamvis nunquam speraret Ulixem,
  Illum exspectando casta remansit amans.
Nec non exanimem amplectens Briseis Achillem
  Candida vesana verberat ora manu, 10
Et dominum lavit moerens captiva cruentum,
  Appositum flavis in Simoenta vadis;
Foedavitque comas, et tanti corpus Achillei,
  Maximaque in parva sustulit ossa manu,
Cum tibi nec Peleus aderat, nec caerula mater, 15
  Scyria nec viduo Deidamia toro.
Tunc igitur veris gaudebat Graecia natis,
  Tunc etiam felix inter et arma pudor.
At tu non una potuisti nocte vacare,
  Impia, non unum sola manere diem. 2
Quin etiam multo duxisti pocula risu;
  Forsitan et de me verba fuere mala.
Hic etiam petitur, qui te prius ipse reliquit.
  Dii faciant, isto capta fruare viro!
Haec mihi vòta tuam propter suscepta salutem?
  Cum capite hoc Stygiae jam poterentur aquae,

Et lectum flentes circumstaremus amici,
  Hic ubi tum, pro dî, perfida, quisve fuit?
Quid, si longinquos retinerer miles ad Indos?
  Aut mea si staret navis in Oceano? 30
Sed vobis facile est verba et componere fraudes.
  Hoc unum didicit femina semper opus.
Non sic incerto mutantur flamine Syrtes,
  Nec folia hiberno tam tremefacta Noto,
Quam cito feminea non constat foedus in ira, 35
  Sive ea causa gravis, sive ea causa levis.
Nunc, quoniam ista tibi placuit sententia, cedam:
  Tela, precor, pueri, promite acuta magis,
Figite certantes, atque hanc mihi solvite vitam!
  Sanguis erit vobis maxima palma meus. 40

. Codd. *facta remansit anus.* Lachmannus *remanere* explicat per verbum icum *rimanere;* dubito num quis dixerit: *rimase fatta vecchia.* Waardenburgius posuit *casta* pro *facta;* Heinsius: *fida.* At quam felices progressus apud lam putes habiturum hortatorem, qui pro fide servata anilitatem et solitum prae oculis ponat? Non me praeterit *Heroïdum* locus (I, v. 115, 116).

*Certe ego, quae fueram, te discedente, puella,*
*Protinus ut redeas, facta videbor anus.*

Ovidius Penelopen ipsam loquentem inducit, quae quasi metuens ait: *videbor;* contra *remansit anus* absolute dictum est; atque haud scio an recte uxor is dici possit anicula. Reposui: *Illum expectando casta remansit amans.* In rto tamen mihi est, utrumne totum distichon sit Propertianum, an confictum Ovidiano disticho et ex Propertii versu: *et quamvis nunquam post haec ra, dolebat* etc. El. XXI, Lib. Sec. v. 13. Centonem habemus.

2. Codd. omnes *fluviis;* Guyetus emendavit *flavis* Passeratius tuetur *fluviis* aquis fluvialibus.

5. Gron. et Neap. *Quum tibi.* Eandem subitam apostrophen invenimus in . VI. *Ne qua tibi insolitos* etc. In Excerptis tamen Colotii et in vetere ce Passeratii legitur *quando ibi.* Distichon mihi valde suspectum est.

6. Gron. *peteruntur;* Neap. *poterentur*, tertia conjugatione: cum te jam s vindicaret.

## ELEGIA XXVII.

### VERBA JANUAE CONQUERENTIS.

(Codd. et Burm. 16, Lachm. 17, I.)

Ficto Tarpejae nomine acerrime Cynthiae mores reprehendit.

Quae fueram magnis olim patefacta triumphis,
  Janua Tarpeiae nota pudicitiae,
Cujus inaurati celebrarunt limina currus,
  Captorum lacrimis humida supplicibus,
Nunc ego nocturnis potorum saucia rixis, 5
  Pulsata indignis saepe queror manibus;
Et mihi non desunt turpes pendere corollae
  Semper et exclusi signa jacere faces;
Nec possum infames dominae defendere noctes,
  Nobilis obscenis tradita carminibus. 10
Nec tamen illa suae revocatur parcere famae,
  Turpior et saecli vivere luxuria.
Haec inter gravibus cogor deflere querelis,
  Supplicis a longis tristior excubiis.
Ille meos nunquam patitur requiescere postes, 15
  Arguta referens carmina blanditia:
„ Janua vel domina penitus crudelior ipsa,
  „ Quid mihi tam duris clausa taces foribus?
„ Cur nunquam reserata meos admittis amores,
  „ Nescia furtivas reddere mota preces? 20
„ Nullane finis erit nostro concessa dolori?
  „ Tristis et in rigido limine somnus erit?
„ Me mediae noctes, me sidera prona jacentem,
  „ Frigidaque Eoo me ferit aura gelu.
„ Tu sola humanos nunquam miserata labores, 25
  „ Respondes tacitis mutua cardinibus.

„ O utinam trajecta cava mea vocula rima,
„ Percussas dominae vertat in auriculas!
„ Sit licet et saxo patientior illa Sicano,
„ Sit licet et ferro durior et chalybe: 30
„ Non tamen illa suos poterit compescere ocellos,
„ Surget et invitis spiritus in lacrimis.
„ Nunc jacet alterius felici nixa lacerto;
„ At mea nocturno verba cadunt Zephyro.
„ Sed tu sola mei, tu maxima causa doloris, 35
„ Victa meis nunquam, janua, muneribus!
„ Te non ulla meae laesit petulantia linguae,
„ Quae solet irato dicere turba joco,
„ Ut me tam longa raucum patiare querela
„ Sollicitas trivio pervigilare moras. 40
„ At tibi saepe novo deduxi carmina versu,
„ Osculaque impressis nixa dedi gradibus.
„ Ante tuas quoties verti me, perfida, postes,
„ Debitaque occultis vota tuli manibus!"
Haec ille, et si quae miseri novistis amantes, 45
Et matutinis obstrepit alitibus.
Sic ego nunc dominae vitiis, et semper amantis
Fletibus aeterna differor invidia!

8. Codd. *exclusis;* Lipsius correxit *exclusi.*

9. Codd. *infamis.*

11, 12. Vulpius animadvertit *revocatur* accessum simul et reditum significare: femina non revocabatur *ad parcendum* famae suae neque *a vivendo* flagitiose. Hertzbergius contra zeugma denuntiat, contenditque in superiore versu *revocari* significare *juberi*, in minore *sini;* proditque Terentii locum (*Ad.* III, 5, 18: *Namque tempus praecavere mihi me, haud te ulcisci sinit*), quem sic exponit: hoc tempus jubet me mihi praecavere, haud sinit me ulcisci. Liceat tamen adnotare in illo exemplo nobis non esse ad verbum *jubere* confugiendum, cum sit commoda verborum constructio: hoc tempus sinit me mihi praecavere; non sinit me ulcisci. Particula negativa in ea tantum orationis parte vim suam explicat, in qua ponitur. De quo autem zeugmatis genere in versu Propertiano

agatur, non satis video. Triplex est, ni fallor, zeugma, secundum tres modos quibus fit; sed tres modi hoc commune habent, quod in omnibus subauditur verbum *unius significationis*, a quo membra orationis pendent. At in Nostro *revocatur* duplicem sibi vindicat sensum. Quam ob rem censeo in pentametro subintelligendum esse *perseverat*, *persistit*, quod assumitur ex verbo *revocari;* re enim vera femina quae non revocatur *parcere famae suae*, perseverat *vivere turpiter*. Sic Cornelius Nepos, *Cimon* I: « *Elpinice negavit se passuram Miltiadis progeniem in vinclis publicis interire, quoniam prohibere posset, seque Calliae nupturam, si ea quae polliceretur, praestitisset.* » Elpinice *negavit* se passuram etc. et *dixit*, *promisit* se nupturam.

13. Gron. et Neap. *Has inter*, referendum ad *noctes* versus 11. Vetus Codex Passeratii *Haec inter*, interea.

22. Codd. *tepido:* limen accubando tepidum factum, explicant interpretes plus nimio ingeniosi. Quin Catulli Attin adducunt; sed ille, vel illa Attis memorabat domus redimitas floribus, januas frequentes et *limina tepida*, dum Propertius moeret pruinosos ventos et matutinas brumas. — Lego cum Heinsio: *rigido*. Sic Ovidius, *Am.* I, 6: *Vos quoque crudeles rigido cum limine postes.*

25. Gron. et Neap. *dolores;* ceteri *labores*.

38. Codd. *irato dicere tota loco*. Locus manifesto corruptus. Puccius pro *tota* sinceram lectionem restituit: *turba;* quae reperitur etiam in Dresdensi et in Perrejo. Deinde Hertzbergius egregie pro *loco* reposuit *joco*. Janua dixerat se pulsatam et sauciam a potoribus, et traditam obscenis carminibus; cui amans objicit se nunquam eam laesisse conviciis, *quae solet irato dicere turba joco.*

42. Passeratius explicat per hypallagen: genu nixus fixi et impressi oscula gradibus. Eldikius proponebat: *osculaque inspersis mixta dedi lacrimis;* Burmannus: *osculaque inflexis fixa dedi genibus;* Heinsius legebat *fixa* pro *nixa;* Jacobius *manibus* pro *gradibus* et in versu 44 *gradibus* pro *manibus*. Ego olim conjiceram: *osculaque in lacrimis fixa dedi gradibus*. Sic Lucretius, IV, 1173: *Amator... foribus miser oscula figit.* Sed nihil est mutandum.

## ELEGIA XXVIII.

### IN PRAETOREM ILLYRICUM.

(Codd. 16, Burm. 13, II; Lachm. 7, III.)

Hanc elegiam, quae in barbarum et foedum virum ex Illyria reducem invehitur, et potissima discidii causa esse debuit, in Primo Libro collocavi. Versus spurios ejeci, vagantes alio in locum suum reduxi.

Praetor ab Illyricis venit modo, Cynthia, terris,
Maxima praeda tibi, maxima cura mihi.

Non potuit saxo vitam posuisse Ceraunno?
  Ah Neptune, tibi qualia dona darem!
Barbarus excussis agitat vestigia lumbis, 5
  Et subito felix nunc mea regna tenet;
Nunc sine me plena fiunt convivia mensa,
  Nunc sine me tota janua nocte patet.
Quare, si sapis, oblatas ne desere messes,
  Et stolidum pleno vellere carpe pecus; 10
Deinde, ubi consumpto restabit munere pauper,
  Dic, alias iterum naviget Illyrias.
At tu nunc nostro, Venus, o succurre dolori,
  Rumpat ut assiduis membra libidinibus;
Atque utinam, si forte pios eduximus annos, 15
  Ille vir in medio fiat amore lapis!
Ergo muneribus quivis mercatur amorem?
  Juppiter, indignum! merce puella perit.
Atque utinam Romae nemo esset dives, et ipse
  Straminea posset Dux habitare casa! 20
Numquam venales essent ad munus amicae,
  Atque una fieret cana puella domo.
Non quia septenas noctes sejuncta cubaris,
  Candida tam foedo brachia fusa viro,
Non quia peccaris, testor te, sed quia vulgo 25
  Formosis levitas semper amica fuit.
Nullane sedabit nostros injuria fletus?
  An dolor hic vitiis nescit abesse tuis?
Tot jam abire dies, cum me nec cura theatri
  Nec tetigit Campi, nec mea Musa juvat. 30
At pudeat, certe, pudeat; nisi forte, quod ajunt,
  Turpis amor surdis auribus esse solet.
Cerne ducem, modo qui fremitu complevit inani
  Actia damnatis aequora militibus.

Hunc infamis amor versis dare terga carinis 35
  Jussit, et extremo quaerere in orbe fugam.
Sed quascumque tibi vestes, quoscumque smaragdos,
  Quosve dedit flavo lumine chrysolithos,
Haec videam rapidas in vanum ferre procellas,
  Quae tibi terra, velim, quae tibi fiat aqua. 40
Aspice quid donis Eriphyla invenit amaris,
  Arserit et quantis nupta Creusa malis.
Non semper placidus perjuros ridet amantes
  Juppiter, et surda negligit aure preces.
Vidistis toto sonitus percurrere coelo, 45
  Fulminaque aetheria desiluisse domo:
Non haec Pleïades faciunt neque aquosus Orion,
  Nec sic de nihilo fulminis ira cadit.
Perjuras tunc ille solet punire puellas,
  Deceptus quoniam flevit et ipse deus. 50
Quare ne tibi sit tanti Sidonia vestis,
  Ut timeas, quoties nubilus Auster erit.
Scribant de te alii vel sis ignota licebit:
  Laudet qui sterili semina ponit humo.
Omnia, crede mihi, secum uno munera lecto 55
  Auferet extremi funeris atra dies,
Et tua transibit contemnens ossa viator,
  Nec dicet: „Cinis hic docta puella fuit."

5 et 6. Hoc distichon Codd. collocant post v. 22. *Agitat vestigia excussis lumbis* obscenissime dictum nonnulli interpretantur. Mihi persuasum est nihil aliud significare quam quod legimus in Horatio, *Epodon* XV: *Et tu quicumque es felicior, atque meo nunc Superbus incedis malo.* Eodem fere modo Noster El. X: *Qui nunc se in tumidum jactando venit honorem.* Qua de re Turnebo accedens sic intelligo: barbarus ille, lumbis Venere exhaustis, tumidus et inflatus incedit magnifice. Juvenalis *Sat* XIII, v. 244: *Dabit in laqueum vestigia noster Perfidus.* Catullus LXIV: *Candida permulcens liquidis vestigia lymphis.*

**12.** Post haec Codices:

Cynthia non sequitur fasces, nec curat honores:
Semper amatorum ponderat illa sinus.

**Vide** an cum praecedentibus conveniant:

*Quamvis magna daret, quamvis majora daturus,*
*Non tamen illa meos fugit avara sinus.*
*Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis,*
*Sed potui blandi carminis obsequio.* (El. VIII.)
*Nec mihi muneribus nox ulla est emta beatis:*
*Quicquid eram, hoc animi gratia magna tui.*
*Cum te tam multi peterent, tu me una petisti:*
*Possum ego naturae non meminisse tuae?* (El. XXII.)

Eadem passim repetita invenies. Paullo tamen diligentius rem perpendentes, ex hoc ipso carmine manum interpolatoris detegimus. Nam si Cynthia amatorum crumenas semper ponderabat, obvium erat Praetorem bene nummatum extemplo voti compotem esse, nec poeta, qui eam sic a natura effictam noverat, exclamabit: *Ergo muneribus quivis mercatur amores? Juppiter, indignum! merce puella perit.* Merce perierat, merce perit; quid mirum? Nec Propertius amicam obtestatur quia peccaverat, sed quia *formosis levitas semper amica fuit.* Muneribus victam puellam arguit amator, sed profusae luxuriei stimulos exprobrat potius quam turpiorem illam habendi cupiditatem, quae hoc solum expendit, an moechus aere sit gravis. Luxuria fuit avaritiae mater et in culpam traxit; hinc insectationes in vestes, in smaragdos et chrysolithos. — Distichon suppositum omitto, nec sententia laborat, quin fluit facilior.

15. Distichon ex fragmentis El. XXIX huc revocavi.

18. Gron. *indignum!* interjectio indignantis. Caeteri Codd. *indigna merce.* — Post hunc versum Codices:

Semper in Oceanum mittit me quaerere gemmas,
Et jubet ex ipsa tollere dona Tyro.

Vide quae supra ad v. 12 notavi. Adde invenusta illa: *Semper mittit in Oceanum; ex ipsa Tyro.* Quid? vestem purpuream, Tyrio murice tinctam, prodigiosum donum dicas? Sed, me hercle, communi quodam in usu erant elegantioribus romanis puellis, teste Tibullo inter caeteros, Lib. IV, El. 2:

*Sola puellarum digna est, cui mollia caris*
*Vellera det fucis bis madefacta Tyros.*

*Ex ipsa Tyro* clamavisset nemo, nisi rusticus inficeto rure inficetior.

20. *Dux*, Augustus, ut in Hor. Carm. IV, 5: *Lucem redde tuae, Dux bone, patriae.*

28. *Dolor* pro amore.

31. Gron. *Ah pudeat;* Neap. *At pudeat.*

36. In Codd. sequuntur:

Caesaris haec virtus et gloria Caesaris haec est:
Illa, qua vicit, condidit arma manu.

Nemo, licet omnes machinas adhibeat, efficiet ut hi versus oratioı aptentur. Exemplum turpis amoris Antonius praebet; Caesaris vero Caesaris arma ad rem minime faciunt. Accedit quod minor versus a repeti potest, *Am.* I, 2:

*Aspice cognati felicia Caesaris arma:*
*Qua vincit, victos protegit ille manu.*

40. Codd. *fiet aqua;* Scaliger correxit *fiat. Fiat* singulari numero, Terentianum: *amantium irae redintegratio amoris est.*

41. Hoc distichon Codd. inserunt post v. 24.

42. Eriphyle aureo monili a Polynice corrupta maritum Amphiaraum contra Creusa innoxia exarsit donis a Medea missis: dona igitur per se tin *Malis* intelligo cum Passeratio: quibus doloribus et quanta sua suorumque

53. In Codd. carmen terminatur v. 52, sane demissius quam licet. Cynthiam injuriis abire nesciebat; at comtemptui fuisset Propertius, qı consilium viriliter non suscepisset. Sex versus huc revocati, quos Cod elegiam ad Augustum (Lib. Sec. El. XXV) inserunt, optime carmen conc

# ELEGIA XXIX.

## FRAGMENTA.

(Codd. 8, Burm. 7, Lachm. 9, II.)

Haec disticha in Codd. cum elegia subsequente mirum in modum permisc Sunt procul dubio fragmenta carminis, cujus integritas desideratur. trario proxima elegia, ordine versuum restituto, absoluta est, nihil illa intercidisse videtur. Utraque ad Primum Librum pertinent, at Praetorem referuntur.

Sic igitur prima moriere aetate, Properti?
Sed morere; interitu gaudeat illa tuo.
Exagitet nostros manes, sectetur et umbras,
Insultetque rogis, calcet et ossa mea!

. . . . . .

Ecquandone tibi liber sum visus? an usque
In nostrum jacies verba superba caput?

. . . . . .

Sed non effugies! mecum moriaris oportet:
  Hoc eodem ferro stillet uterque cruor.
Quamvis ista mihi mors est inhonesta futura,
  Mors inhonesta quidem, tu moriere tamen. 10

. . . . . .

Quid? non Antigones tumulo Boeotius Haemon
  Corruit ipse suo saucius ense latus,
Et sua cum miserae permiscuit ossa puellae,
  Qua sine Thebanam noluit ire domum?

. . . . . .

Non ob regna magis diris cecidere sub armis 15
  Thebani, media non sine matre, duces,
Quam, mihi si media liceat pugnare puella,
  Mortem ego non fugiam morte subire tua.

11. Antigonam Creontis jussu interfectam fuisse nemo nescit. Diverse tamen Hyginus eventum memoriae prodidit, qui narrat „Haemonem se et Antigonam conjugem interfecisse.“ Propertius igitur veteres scriptores, quorum opera ad nos non pervenerunt, secutus est; hoc tamen discrimine (animadvertit Burmannus) ut Haemon pietate et amore ductus necem patraverit, ne viva tumulo conderetur Antigone, Propertius vero Cynthiae mortem minitetur, vindictae causa propter rivalem sibi praelatum.

15. Duo postrema disticha Codices collocant in fine elegiae XXVI, a qua critici recentiores jam disjunxerunt.

## ELEGIA XXX.

### AD AMICUM.

(Codd. 8, Burm. 7, Lachm. 8, II.)

In primis quatuor versibus amicus Propertium alloquitur; reliquum carmen poetae responsa continet.

„Omnia vertuntur: certe vertuntur amores:
  „Vinceris, aut vincis; haec in amore rota est.
„Magni saepe duces, magni cecidere tyranni,
  „Et Thebae steterunt, altaque Troja fuit.” —

Eripitur nobis jam pridem cara puella,
  Et tu me lacrimas fundere, amice, vetas?
Possum ego in alterius positam spectare lacerto?
  Nec mea dicetur, quae modo dicta mea est?
Nullae sunt inimicitiae, nisi amoris acerbae:
  Ipsum me jugula, lenior hostis ero.
Ille etiam abrepta desertus conjuge Achilles
  Cessare in tectis pertulit arma sua.
Viderat ille fugas, tractos in litora Achivos,
  Fervere et Hectorea Dorica castra face;
Viderat informem multa Patroclen arena
  Porrectum et sparsas caede jacere comas:
Omnia formosam propter Briseïda passus.
  Tantus in erepto saevit amore dolor!
At postquam sera captiva est reddita poena,
  Fortem illum Haemoniis Hectora traxit equis.
Inferior multo cum sim vel matre vel armis,
  Mirum, si de me jure triumphat Amor?

4. Codd. *steterant;* Scaliger emendavit *steterunt.* Deinde Codd. q spurios versus referunt:

Munera quanta dedi, vel qualia carmina feci!
  Illa tamen nunquam ferrea dixit: Amo.
Ergo ego tam multos nimium temerarius annos,
  Improba, qui tulerim teque tuamque domum?

Cynthiam non semper ferream fuisse atque non semel Propertio dixisse *r* facile colligitur ex iis quae hucusque legimus; nec Propertius spatium qui vel sedecim mensium, quibus cum Cynthia consueverat, *tam multos annos* ap potuisset. *Temerarius* porro nullam probam significationem admittit. De *mu* nihil addam. V. notam in v. 10 El. XXVIII.

12. *In tectis*, in tentorio suo. Commelinianus: *in Teucros.*

13. Gron. *fuga tractos;* Neap. *fugas, tractos.* Heinsianus, Vossian et Excerpta Scaligeri *Phrygas.* Hinc Heinsius: *Viderat ille Phrygas str litore Achivis.* Vera est Neap. scriptura.

21. Gron. et Neap. *vel Marte vel armis.* Sed Colotianus, Vaticanu II, Perrejus et Codex Passeratii *vel matre vel armis.*

# ELEGIA XXXI.

## CYNTHIAE VALEDICIT.

(Codd. 21, Burm. 20, III; Lachm. 21, IV.)

Ante XXXII, quae adversam maris tempestatem describit, collocandam esse jam conjecerat F. G. Barthius. Codices Tertio Libro inserunt.

Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas,
  Ut me longa gravi solvat amore via.
Crescit enim assidue spectando cura puellae.
  Ipse alimenta sibi maxima praebet amor.
Omnia sunt tentata mihi, quacumque fugari 5
  Possit; at ex omni me premit ipse Deus.
Unum erit auxilium: mutatis, Cynthia, terris,
  Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.
Nunc agite, o socii, propellite in aequora navem,
  Remorumque pares ducite sorte vices, 10
Jungiteque extremo felicia lintea malo:
  Jam liquidum nautis aura secundat iter.
Romanae turres, et vos valeatis, amici,
  Qualiscumque mihi tuque, puella, vale.
Ergo ego nunc rudis Adriaci vehar aequoris hospes, 15
  Cogar et undisonos nunc prece adire deos!
Deinde per Ionium vectus, cum fessa Lechaeo
  Sedarit placida vela phaselus aqua:
Qui superest, sufferre, pedes, properate laborem,
  Isthmos qua terris arcet utrumque mare. 20
Inde ubi Piraei capient me litora portus,
  Scandam ego Theseae brachia longa viae.
Illic vel stadiis animum emendare Platonis
  Incipiam, aut hortis, docte Epicure, tuis;

Aut spatia annorum aut longa intervalla profundi 25
Lenibunt tacito vulnera nostra sinu.
Seu moriar, fato, non turpi fractus amore;
Atque erit illa mihi mortis hònesta dies.

6. Gron. et Neap. *ipse Deus.* Vulg. *ille Deus.* Ipse deus, notat Jacobius, est deus undequaquam instans et praesens. — Codices addunt distichon:

Vix tamen aut semel admittit, cum saepe negavit;
Seu venit, extremo dormit amica toro.

An usquam insulsiores versiculos legisti? Quid sibi vult *vix tamen aut semel admittit?* Obscene dictum putemus? Pol, nimis ridiculum. An forte se domi receptum significat? At tunc, quo *seu venit?* Scaliger pro *amica* emendaverat *amicta:* memorabilem et palmarem praedicarunt emendationem. Verum eam Propertius jam pridem rejecerat:

*Quod si portendens animo vestita cubaris,*
*Scissa veste meas experiere manus.* (El. IV.)

19. Codd. *Quod superest;* Lachmannus emendavit *Qui superest.*

21. Gron. *Capient mea lintea;* Neap. *capient me litora.*

23. Codd. *studiis;* non laudabile loquendi genus «*studia Platonis*» vitabitur, si cum Broukhusio legeris *stadiis.*

24. Hic Codices addunt:

Prosequar aut studium linguae, Demosthenis arma,
Librorumque tuos, docte Menandre, sales;
Aut certe tabulae capient mea lumina pictae,
Sive ebore exactae, seu magis aere manus.

Si ad locutionem spectes, jure meritoque in enumeratione repetitionem insuavem reprehendes: *docte Menander* et *docte Epicure.* Accedunt et remissius illud *Prosequar*, et Menandri comoediae *libri* dictae, et ipse Menander doctorum laurea donatus, et *Demosthenis arma*, quae Petronio reddenda esse Burmannus docuit. In versu tertio *certe* otiosum videtur et metri gratia insertum. Ad res autem quod attinet, Propertius, neque orator, neque poeta comicus, non ad Demosthenem aut Menandrum animum prae caeteris adjunxisset. Nec tabulae, nec signa, nec comoediae optime faciunt ad sanandum animum amore aegrotantem; ea enim omnia cupidines irritant, moventque *Ardentes juvenes raptasque in amore puellas.* Quatuor versibus omissis, gravius procedit oratio, quae hoc loco ornatum despicit, brevitatem poscit.

26. *Tacito sinu* dictum proprie intelligo, sicuti in El. III Lib. Ter. *In tacito cohibe gaudia sinu.*

Et quaecumque super dispersa invenerit ossa
Montibus Etruscis, haec sciat esse mea. 10

3. Miles, audito gemitu, flectit lumina hiantia, turgentia, non lacrimis, sed metu et terrore dilatata; Antonianus enim timet Caesareum gladium sibi imminere. Cui Gallus: quid dubitas? sum pars militiae vestrae.

6. Gron. *Nec soror;* Neap. *Ne soror.* Particula negativa sensum perturbat, quoniam Gallus sororem de proelii eventu et morte sua certiorem fieri exposcebat. Puccius itaque *Haec soror;* quod Beroaldus jam divinaverat, et editores receperunt. — Deinde Codd. omnes *acta* scribunt, res actas, scilicet pugnam et letum Galli. Scaliger conjecit *Acca*, nomen sororis. Antiquis mos erat propinquos proprio nomine designare; sed nomen Accae non placet, quum nullius libri manu exarati auctoritate nitatur. Ubi sententia quomodocumque laborat, nulla est apud me Codicum auctoritas; cum autem omnia cohaerent, a conjecturis abstinere prudentis est.

## ELEGIA XXXIV.

### AD TULLUM.

(Codd. Burm. 22, Lachm. 23, I.)

Qualis, et unde genus, qui sint mihi, Tulle, penates,
aeris pro nostra semper amicitia.
Si Perusina tibi patriae sunt nota sepultae,
Italiae duris funera temporibus,
Cum Romana suos egit discordia cives: 5
(Sit mihi praecipue pulvis Etrusca dolor!
Tu projecta mei perpessa es membra propinqui,
Tu nullo miseri contegis ossa solo!)
Proxima supposito contingens Umbria campo
Me genuit, terris fertilis uberibus. 10

3. Tullus Propertium de patria et genere suo interrogaverat; cui ille: meministine Perusinae cladis et Romanae discordiae civiliumque bellorum? ea tempestate natus sum in planitie Umbriae, cui Perusia proxima est. *Perusina*

*funera* sunt Octaviani strages an. ab U. C. DCCXIII; *pulvis Etrusca* Peru ipsa, urbs Etruriae, apud quam Propertii propinquus interfectus fuit; *Umbr* idest ea pars Umbriae quae proxime contingit Perusiam; *supposito campo*, nei planities Perusiae supposita: urbs Mevania, vel pagus ignoti nominis.

6. *Sit mihi*, Codd. omnes. Scaliger scripsit *Sis*. Verum *Sit* varietatem gravitatem quamdam majorem orationi confert.



# ELEGIA XXXII.

## DE MARIS TEMPESTATE.

(Codd. et Burm. 17, Lachm. 18, I.)

Et merito, quoniam potui fugisse puellam!
  Nunc ego desertas alloquor alcyonas.
Nec mihi Cassiope solidam visura carinam est,
  Omniaque ingrato litore vota cadunt.
Quin etiam absenti prosunt tibi, Cynthia, venti: 5
  Adspice, quam saevas increpat aura minas.
Nullane placatae veniet fortuna procellae?
  Haeccine parva meum funus arena teget?
Tu tamen in melius saevas converte querelas,
  Sat tibi sit poenae nox et iniqua vada. 10
An poteris siccis mea fata opponere ocellis,
  Ossaque nulla tuo nostra tenere sinu?
Ah pereat, quicumque rates et vela paravit
  Primus, et invito gurgite fecit iter!
Nonne fuit levius dominae pervincere mores 15
  (Quamvis dura, tamen rara puella fuit),
Quam sic ignotis circumdata litora silvis
  Cernere, et optatos quaerere Tyndaridas?
Illic si qua meum sepelissent fata dolorem,
  Ultimus et posito staret amore lapis; 20
Illa meo caros donasset funere crines,
  Molliter et tenera poneret ossa rosa;
Illa meum extremo clamasset pulvere nomen,
  Ut mihi non ullo pondere terra foret.
At vos aequoreae formosa Doride natae, 25
  Candida felici solvite vela choro:

Si quando vestras labens Amor attigit undas,
Mansuetis socio parcite litoribus.

3. Codd. *Cassiope solito.* Cassiope intelligi potest vel signum caeleste vel portus Epiri. Sed priorem significationem excludit *visura;* contra Romani Brundusio in Graeciam navigantes Epiri portum petebant. Lachmannus conjecit: *Cassiopes statio.* — Vir doctus emendaverat antea: *solidam* pro *solito.*

9. *Tu*, Cynthia.

11. Gron. *mea fata opponere;* Neap. *reponere* in vulg. receptum, idest in sepulcro condere. At quomodo Cynthia in sepulcro composuisset ossa amatoris in profundo submersa? Paldamus correxit *revolvere.* Sic Tacitus in Ann., *omnia facta dictaque ejus secum revolvant.* Jacobius *opponere* tuetur et exponit: haud poteris tranquillo animo cogitare te mortis meae causam fuisse; Propertius enim fingit Cynthiam relictam naufragium ei imprecatam fuisse. Ego vero: an poteris hanc mortem meam cogitare, ponere tibi prae oculis me mortem subisse mediis in fluctibus?

15. Gron. *fuit melius;* Neap. *fuit levius.* — Gron. et Neap. *dominae-mores;* Mentelianus *amores.*

## ELEGIA XXXIII.

### GALLUS AD COMMILITONEM.

(Codd. Burm. 21, Lachm. 22, II.)

Tu qui consortem properas evadere casum,
Miles ab Etruscis saucius aggeribus:
Quid nostro gemitu turgentia lumina torques?
Pars ego sum vestrae proxima militiae.
Sic te servato, ut possint gaudere parentes, 5
Haec soror acta tuis sentiat e lacrimis:
Gallum per medios ereptum Caesaris enses,
Effugere ignotas non potuisse manus;

# S. AURELII PROPERTII

# CYNTHIA.

## LIBER SECUNDUS.

---

### ELEGIA I.

(Codd. 1 et 13, Burm. 1 et 10, II; Lachm. 1, II, et 3, III.)

Elegia, a qua incipit Lib. Sec. Codd. continet, praeter versus 1—16, integram quoque elegiam *Ad Maecenatem* proxime subsequentem. Propertius, clarissimo Romanorum Equitum carmen inscribens, nunquam dixisset *Quaeritis?* Neque hilare jucundumque exordium perpetuis et miseris querimoniis praeposuisset. Ad rem quod attinet, nemo mihi persuadebit poetam, adhuc *prima aetate* florentem et tum *nequitiae caput*, *infamem per totam urbem* (el. V) Imp. Augusti sodali librum nuncupavisse; satis erat, si alter poematium mitteret verecunde, alter humaniter acciperet. Contra versus 17—32, quos Codd. elegiae XXI Libri Tertii portentose praefigunt, proemium Secundi Libri pulchre absolvunt.

Quaeritis, unde mihi toties scribantur amores,
  Unde meus veniat mollis in ore liber?
Non haec Calliope, non haec mihi cantat Apollo:
  Ingenium nobis ipsa puella facit.
Sive lyrae carmen digitis percussit eburnis 5
  (Miramur, faciles ut premat arte manus);
Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos
  (Gaudet laudatis ire superba comis);
Seu, cum poscentes somnum declinat ocellos,
  Invenio causas mille poeta novas. 10

Si videam Cois fulgentem incedere notis,
  Hoc totum e Coa veste volumen erit:
Si nuda erepto mecum luctatur amictu,
  Tunc vero longas condimus Iliadas.
Seu quicquid fecit, sive est quodcumque locuta,
  Maxima de nihilo nascitur historia.
Non tot Achaemeniis armantur Susa sagittis,
  Spicula quot nostro pectore fixit Amor!
Hic me tam graciles vetuit contemnere Musas,
  Jussit et Ascraeum sic habitare nemus;
Non ut Pieriae quercus mea verba sequantur,
  Aut possim Ismaria ducere valle feras;
Sed magis ut nostro stupefiat Cynthia versu:
  Tunc ego sim Inachio notior arte Lino.
Non ego sum formae tantum mirator honestae,
  Nec si qua illustres femina jactat avos;
Me juvat in gremio doctae legisse puellae,
  Auribus et puris scripta probasse mea.
Haec ubi contingant, populi confusa valeto
  Fabula; nam domina judice tutus ero.
Quae si forte bonas ad pacem verterit aures,
  Possum inimicitias tunc ego ferre Jovis.

2. Gron. *in ore liber;* vulg. edd. *in ora.*

3. Gron. *cantat Apollo;* vulg. edd. *dictat.*

5—12. Critici recentiores animadverterunt ordinem versuum in Codd. l
Restitui distinctione apta ad sententiarum nexum ac progressionem orati

11. Gron. et Neap. *Sive illam Cois fulgentem incedere cogis.* Vitiu
in *cogis* nemo negat. Eruditi conjecerunt *totam, totis, textis, veste.*
editiones, et Heinsius: *Sive illam tunicis — Cois.* Ayrmannus: *Siv*
*longis — Cois.* Lachmannus protulit *coccis*, i. e. purpura. Verumtamen
oratio flagitat, atque in Codd. Vaticanis et Vossiano IV legitur *incede*
Huschkius recte monuit non apparere quomodo *vidi* a scribis commutari p
et proposuit *novi.* Mihi autem videtur gravius ulcus esse; nam nimiae

dae sunt illae conjunctiones *Sive*, *seu*, septies repetitae, nulla cum orationis ate, immo oratione disjuncta et hiante. Qua de causa existimo sinceram nem fuisse: *Si videam* Repono: *Si videam Cois fulgentem incedere notis.* vestis illa est de qua eleg. X Lib. Tertii: *Dein, qua primum oculos cepisti* , *Properti*, *Indue*, et el. XVII Lib. Sec. *ostrina cum fuit in tunica.* . Gron. et Neap. *Hoc totum e Coa;* Vossianus IV et V: *Totum de Coa.* . Codd. *Seu.*

## ELEGIA II.

### AD MAECENATEM.

(Codd. Burm. et Lachm. 1, II.)

lintegratio elegiae hoc tantum sibi poscebat, ut duo prima disticha, quae Codd. post v. 28 (42 Codd.) inserunt, in sedem suam traducerentur.

Navita de ventis, de tauris narrat arator,
  Enumerat miles vulnera, pastor oves;
Nos contra angusto versantes praelia lecto:
  Qua pote quisque, in ea conterat arte diem.
Quod mihi si tantum, Maecenas, fata dedissent, 5
  Ut possem heroas ducere in arma manus,
Non ego Titanas canerem, non Ossan Olympo
  Impositam, ut caeli Pelion esset iter;
Non veteres Thebas, nec Pergama, nomen Homeri,
  Xerxis et imperio bina coisse vada; 10
Regnave prima Remi aut animos Carthaginis altae,
  Cimbrorumque minas et benefacta Mari.
Bellaque resque tui memorarem Caesaris, et tu
  Caesare sub magno cura secunda fores!
Nam quoties Mutinam aut, civilia busta, Philippos, 15
  Aut canerem Siculae classica vela fugae,
Eversosque focos antiquae gentis Etruscae,
  Aut Ptolemaeëae litora capta Phari;
Aut canerem victum et Nilum, cum tractus in urbem
  Septem captivis debilis ibat aquis, 20

Et regum auratis circumdata colla catenis,
  Actiaque in Sacra currere rostra Via:
Te mea Musa illis semper contexeret armis,
  Et sumpta et posita pace fidele caput.
Sed neque Phlegraeos Jovis, Enceladique tumultus 25
  Intonat angusto pectore Callimachus;
Nec mea conveniunt duro praecordia versu,
  Caesaris in Phrygios condere nomen avos.
Laus in amore mori; laus si datur altera vivo
  Posse frui: fruar o solus amore meo! 30
Seu mihi sint tangenda novercae pocula Phaedrae,
  Pocula privigno non nocitura suo;
Seu mihi Circaeo pereundum gramine, sive
  Colchis Iolciacis urat aena focis;
Una meos quoniam praedata est femina sensus, 35
  Ex hac ducantur funera nostra domo.
Omnes humanos sanat medicina dolores:
  Solus Amor morbi non habet artificem.
Tarda Philoctetae sanavit crura Machaon,
  Phoenicis Chiron lumina Phillyrides; 40
Et deus extinctum Cressis Epidaurius herbis
  Restituit patriis Androgeona focis;
Mysus et Haemonia juvenis qua cuspide vulnus
  Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem.
Hoc si quis vitium poterit mihi demere, solus 45
  Tantalea poterit tradere poma manu;
Dolia virgineis idem ille repleverit urnis,
  Ne tenera assidua colla graventur aqua;
Idem Caucasia solvet de rupe Promethei
  Brachia, et a medio pectore pellet avem. 50
Quandocumque igitur vitam mea fata reposcent,
  Et breve in exiguo marmore nomen ero,

Maecenas, nostrae spes invidiosa juventae,
Et vitae et morti gloria justa meae:
Si te forte meo ducet via proxima busto, 55
Esseda caelatis siste Britanna jugis,
Taliaque inlacrimans mutae jace verba favillae:
„Huic misero fatum dura puella fuit."

2. Neap. *Et numerat.*

3. Vulg. edd. et Puccius: *versamus praelia.* Gron. et Neap. *versantes.* Ut s enumerat vulnera, et pastor oves, ita nos *enumeramus*, celebramus amantes *ntes* praelia in lectis.

). Hertzbergius contendit *bina vada* significare duo maria, non duo litora; ropter poetam hoc loco pontem non memoravisse, quo Xerxes litora Asiae Europa conjunxit, sed aliud facinus non minus apud veteres illustre, scilicet n montem perfossum et Strymonium sinum cum Singitico junctum.

5. Codd. *classica bella*, quam vocem versus 13 jam habet. Heinsius repo- *vela.* In enumeratione quae orationem exornat, repetitionem ejusdem vocis gentiae auctoris tribuere non licet.

'. Cum Christiano Heimreichio libenter vellem, uti spurium, expellere ver- , qui inhoneste celebrat Perusina funera et Octaviani stragem. At quo ) ? Eques Etruscus, regibus Etruscis editus Maecenas Perusiae cladem, Octa- immanitatem viderat; an minus amicitia Caesaris usus fuit? Nonne idusium petiit legatus de pace? Propertius civium et propinquorum cala- tes, caedemque animo indignante dixerat *perpetuum dolorem* suum; an minus isto summa rerum potito *vilia tura* dedit? Nonne scripsit: *vates tua castra ndo Magnus ero?* Cum eversos focos Etruscos cantabat, cum elegias XXV XVII Libri Secundi condebat, poeta aequalium suorum vestigiis incedebat, ante Tacitum fateri potuissent: *cum caeteris in servitutem ruimus.* Unus Tibul- nobilem silentii virtutem servavit.

). Codd. *aut canerem Cyprum*, quod historiae repugnat. Neap. *cyptum.* ius sanare sibi visi sunt veteres editores substituendo *Aegyptum*, sed *Pto- veëae litora capta Phari* jam Aegyptum indicant. Lachmannus correxit *canere inciperem et Nilum*, intelligens de triplici Augusti triumpho, Aegyptio, rico et Actiaco, in quo Nili imago septem ostiis tarde incedens ducta fuit. issime dictum; at *canere inciperem*, praecedente *Aut canerem*, ingratum est anguet. A Codicum vestigiis non longe recedens, scripsi *victum:* Nilus *us* et *captivus* ductus in triumpho.

24. Post hunc Codices dant:

Theseus infernis, superis testatur Achilles,
Hic Ixioniden, ille Menoetiaden.

Distichon non quadrare cum praecedentibus omnes sentiunt. Si cum Lachmanno legis *ceu fatur* pro *testatur*, sententia non reclamabit; sed Jacobius jure dubitat an *fari* cum accusativo personae recte ponatur. Ipse levi vocalis mutatione in superiore versu (*ut* pro *et*) emendabat:

*Ut, sumpta et posita pace fidele caput,*
*Theseus infernis, superis testatur Achilles.*

Verumtamen *infernos* pro *inferos* a Christianis Theologis substantive usurpari, non a poetis saeculi Augusti, jam monuerat Forcellinius. Distichon ab indocto homina concinnatum fuit.

29. Gron. et Neap. *laus altera si datur uno.* Mentelianus, Dresdensis, Heinsianus, Colbertinus, ed. Rhegiana, Puccius et Perrejus: *laus si datur altera vivo;* quam lectionem veriorem puto ob sententiam subsequentem: *fruar o solus amore meo.*

30. Alterum post h. v. habes in Codd. distichon suppositicium:

Si memini, solet illa leves culpare puellas,
Et totam ex Helena non probat Iliada.

Gravissimae elegiae repugnant versus, si ironiam et aculeum continent; sin minus, post Panthum, Practorem et caeteros quis ingenuissimum Propertium humaniter feret? Adde immoderatam hyperbolen: ob Helenam culpat totam Iliadem! Nugae sunt, non lepores.

34. Codd. *Colchis Colchiacis;* Scaliger emendavit *Iolciacis.*

38. Codd. *non amat artifices.* Rectissime Schraderus corrigebat: *non habet.* Teste hac elegia et Prima Libri Primi, amatores quaerunt amoris medicinam, sed non inveniunt.

46. *Tantalea* Codd. Beroaldus reposuit *Tantaleae*, ut *manu* sit dativus. Sed Propertius non intelligit de pomis Tantalo tradendis, sed de homine, quem Tantali fata premerent, poma carpente et deinde tradente. Hic idem, inquit Noster, *dolia virgineis repleverit urnis*, hic idem *Caucasia solvet de rupe Promethei brachia.* Latinus Latinius et Burmannus pro *tradere* proposuerunt *carpere.* Hoc dilucidius, illud magis Propertianum.

53. Gron. *pars invidiosa;* Neap. *spes invidiosa;* ita etiam edd. Rheg. et Aldina. O Maecenas, optatum, rogatum, ambitum (Italice *invidiabile, invidiato*) praesidium juventutis romanae; videlicet eorum praesertim, ni fallor, qui cum Musis aliquod habebant commercium.

# ELEGIA III.

## AD DEMOPHOONTEM.

(Codd. 22, Burm. 18, II; Lachm. 14, III.)

Haec et tres quae sequuntur elegiae lumen praeferunt disticho prooemii Libri Primi:

*Donec me docuit* (Amor) *castas odisse puellas*
*Improbus et nullo vivere consilio.*

Scis, here, mi multas pariter placuisse puellas,
Scis mihi, Demophoon, multa venire mala.
Nulla meis frustra lustrantur compita plantis,
O nimis exitio nata theatra meo!
Sive aliquis molli diducit candida gestu 5
Brachia, seu varios incinit ore modos,
Interea nostri quaerunt sibi vulnus ocelli,
Candida non tecto pectore si qua sedet,
Sive vagi crines puris in frontibus errant,
Indica quos medio vertice gemma tenet. 10
Quae si forte aliquid vultu mihi dura negarat,
Frigida de tota fronte cadebat aqua.
Quaeris, Demophoon, cur sim tam mollis in omnes?
Quod quaeris QUARE non habet ullus amor.
Cur aliquis sacris laniat sua brachia cultris 15
Et Phrygis insanos caeditur ad numeros?
Unicuique dedit vitium natura creato;
Mi fortuna aliquam semper amare dedit.
Me licet et Thamyrae cantoris fata sequantur,
Nunquam ad formosas, invide, caecus ero. 20
Sed, tibi si exiles videor tenuatus in artus,
Falleris: haud unquam est culta labore Venus.
Percontere licet; saepe est experta puella
Officium tota nocte valere meum.

Juppiter Alcmenae geminas requieverat Arctos, 25
  Et coelum noctu bis sine rege fuit,
Nec tamen idcirco languens ad fulmina venit:
  Nullus amor vires eripit ipse suas.
Quid? cum e complexu Briseidos iret Achilles,
  Num fugere minus Thessala tela Phryges? 30
Quid? ferus Andromachae lecto cum surgeret Hector,
  Bella Mycenaeae non timuere rates?
Ille vel hic classes poterat vel perdere muros.
  Hic ego Pelides, hic ferus Hector ego.
Adspice uti caelo modo sol, modo luna ministret: 35
  Sic etiam nobis una puella parum est.
Altera me cupidis teneat foveatque lacertis,
  Altera si quando non sinit esse locum;
Aut si forte irata meo det verba ministro,
  Ut sciat esse aliam, quae velit esse mea. 40
Nam melius duo defendunt retinacula navem,
  Tutius et geminos anxia mater alit.

2. Codd. *scis mihi.* Lachmannus correxit *mi hinc*, nempe a puellis.

5. Codd. *deducit;* Passeratius restituit *diducit.*

13. Gron. *mollis et amens;* Neap. et caeteri *mollis in omnes.* Scriptura Groninganam contemnere nolim.

14. *Quod quaeris Quare*, Codd. omnes. Hoc est: rationem quam quaeris. Non admiror, neque damno istud *Quare.* Humiles et neglecti modi, quos Ita vocant *sprezzature*, si sententiis et orationis generi aptentur, habent quiddam lepidae facilitatis. Huschkius eleganter conjiciebat: *Quod quaeris, curae non habet ullus amor.*

18. Codd. *Mi fortuna aliquid.* Heimreichius optime proposuit *aliquam.*

25. Codd. *Alcmenae*, id est Jupiter *Alcmenae*, Alcmenae amator; vel duas noctes Alcmenae. Nisi *Alcmenae* est dativus, in Alcmenae gratiam.

38. Heinsius perspicuitatis gratia, ut puto, legebat: *Altera si quando haec.*

39. Codd. *Irata meo sit facta ministro.* Vitiose profecto. Dominus enim flocci facit, si puella ministro irascitur. Jacobius praeter consuetudinem minus

feliciter coniecit *mero ministro:* inter vina. Libera conjectura scripsi: *irata meo det verba ministro:* venire nolens, me admittere recusans, decipiat servum, quem ad illam misi.

## ELEGIA IV.

### DE AMORIS SERVITUTE.

(Codd. 23, Burm. 18, II; Lachm. 15, III.)

Molestias et cruciatus eorum qui sectantur equestris ordinis meretrices, vel nuptas vel vittae honore carentes, indignanter describit. Ideo ponit amatorem qui dat munera servo dominae, ut recte illi mandata referat. Amans percunctari, omnia quaerere, puerum interrogationibus fatigare, ea discendi sollicitus quae scire timet. Omnium acerrimus hic angor est, si puella quae venire promiserat, deinde se venire posse negat. Apage, Austris fallacior! nonne pudet? Me audi: si dura es, statim nega, praescinde spem; si non es dura, age! veni. Quo tot inania verba facere? Post haec poeta aviditatem, superbiam et fastidia depingit ingenuarum, quibus libertinas se praeponere affatim atque insolenter profitetur.

In Codd. versus 3, 4, 7—12 superiori carmini male annectuntur; 19—24 ad elegiam sequentem referuntur. Disjecta membra poetae collegi.

Ingenuus quisquam alterius dat munera servo,
  Ut promissa suae verba ferat dominae?
Et quaerit totiens: „Quaenam nunc porticus illam
  Integit?" Et: „Campo quo movet illa pedes?"
Quanta illum toto versant suspiria lecto, 5
  Cum recipi, quem non noverit, ille putat!
Et rursus puerum quaerendo audita fatigat,
  Quem, quae scire timet, dicere plura jubet.
Hic unus dolor est ex omnibus acer amanti,
  Speranti subito si qua venire negat. 10
At si es dura, nega; sin es non dura, venito:
  Quid juvat in nullo pondere verba loqui?
Deinde ubi pertuleris quos dicit fama labores
  Herculis ut stridat: „muneris ecquid habes?"

Cernere uti possis vultum custodis amari, 15
  Captus et immunda saepe latere casa?
Quam care semel in toto nox vertitur anno!
  Ah pereant, si quos janua clausa juvat.
Et modo pavonis caudae flabella superbae,
  Et manibus dura frigus habere pila; 20
Et cupit iratum talos me poscere eburnos,
  Quaeque nitent Sacra vilia dona via.
Ah peream, si me ista movent dispendia: sed me
  Fallaci dominae jam pudet esse jocum.
Contra, rejecto quae libera vadit amictu, 25
  Custodum et nullo septa timore, placet?
Cui saepe immundo Sacra conteritur via socco,
  Nec sinit esse moram, si quis adire velit;
Differet haec nunquam, nec posset garrula, quod te
  Astrictus ploret saepe dedisse pater; 30
Nec dicet: „Timeo; propera jam surgere, quaeso:
  Infelix, hodie vir mihi rure venit."
Et quas Euphrates et quas mihi misit Orontes,
  Me juerint: nolim furta pudica tori.
Cui fuit indocti fugienda haec semita vulgi, 35
  Ipsa petita lacu nunc mihi dulcis aqua est.
Libertas quoniam nulli jam restat amanti,
  Nullus erit liber si quis amare velit.

1. *Alterius.* Ancipitis significationis; fere omnes intelligunt de servo puellae. Suum, ne in suspicionem incideret, non misit amator. *Promissa verba:* mandata amantis, quae servus accurate se relaturum promiserat.

6. Gron. *Cur — ille putat;* Neap. *Cur — ille vetat.* Mentelianus *Cum*, et sic vulgg. Amator tam anxius est, quia timet ne quis sibi ignotus recipiatur ab amica, dum ipse excluditur.

8. In Cod. Neap. versiculus desideratur; legitur in caeteris. Juvenis, spe deceptus, ea quaerit iterum iterumque, quae discere timet, nempe puellae flagitia. Verissime dictum, si sapis.

11. Poeta ira abreptus alloquitur subita puellam fallacem conversione. Deinde amantis miserias, ingenuarum fastus, libertinarum facilitatem describit.

12. *In nullo ponere verba loco* Codd. Observat Jacobius: plerumque est *nullam auctoritatem verbis tribuere;* hic debet esse *nullius auctoritatis vel ponderis verba proloqui.* Mendosam et ineptam cum Livinejo scripturam existimo. Optime reposuit Beroaldus: *in nullo pondere verba loqui;* quod firmatur Ovidii Heroid. III, 98: *At mea pro nullo pondere verba cadunt.*

14. Cod. *ut scribat.* Guyetus conjecit *stridat:* »inepte« notat Burmannus. Mihi placet; nam Ovidius *Art. Am.* III, 289: *Illa sonat raucum, quiddamque inamabile* STRIDET. Nondum res hic est de pugillaribus, tabellis aut literis missis ad horam dicendam et munus petendum. Clausa janua aperta fuit; amator, postquam pertulit Herculeos labores, tandem receptus brachia amicae tendit. Haec vero *stridet: muneris ecquid habes?*

15. *Custodis amari*, Gron. et Neap. id est morosi. Alii Codd. *avari*, quod Beroaldus recepit.

17. *Nox vertitur*, nox amoris revertitur, datur, conceditur; vel nox amoris peragitur. El. XII Lib. Prim. *Et deus et durus vertitur ipse dies.* Heinsius et Hemsterhusius proposuerunt *nox venditur.* Notat Heimreichius *januam clausam* versus minoris, de poetarum Romanorum more, postulare in majore quo possit referri, atque ingeniose conjecit: *Nam cardo semel in toto vix vertitur anno.* Sed causalis conjunctio *nam* frigidior videtur, neque apte praecedentibus adhaeret; contra interjectio exclamantis *quam* majorem vim habet. Praeterea durum sane est cardinem semel tantum verti toto in anno; sed Propertius voluit: quam care, quot laboribus, cruciatibus, ne quid dicam de impensis, una nox illa emitur!

19. Poeta fastidia et contemptus puellae describere pergit et in medias res lectorem trahit. — *Pavonis caudae flabella superbae* erant flabella, quibus ad ventilandum utebantur puellae.

20. *Dura frigus habere pila:* pila ex crystallo, quam feminae in manibus habebant ad calorem frigore ejus mitigandum. Ita Burmannus.

21. Et cupit me jam irascentem poscere, ut emam talos etc.

22. *Vilia dona*, munuscula petit ab eo qui magna dare non poterat. Acerbus in amantem pauperculum derisionis modus.

25. *Rejecto amictu*, toga post humeros rejecta, sinu nudato.

26. *Nullo septa timore*, i. e. femina, quam pedisequi et amici non comitantur.

27. Sacram viam iterum nominat; ubi vilia dona, ibi togatae.

34. Gron. et vulg. *Me capiant;* Neap. Dresdensis et Hamburgensis: *Me jurerint.* Jacobius addit: fortasse *jurint*, cujus glossa *capiant* videri possit.

Vulgatum et vulgare *me capiant* expellere non dubitavi, et scripsi *juerint*. Sic Catullus de Com. Ber. v. 18: *Non, ita me divi, vera gemunt, juerint.*

35. Ipse qui hunc amandi modum, veluti tantum indocto vulgo dignum, despiciebam, nunc probo.

36. *Lacu;* de lacubus urbanis vel piscinis intellige, qui publici fontes sunt, unde aquam haurire omnibus fas est. Versum Propertianum illustrat illud Ovidii distichon, *Am.* II, 19:

*Quod licet et facile est, quisquis cupit arbore frondes*
*Carpat, et e magno flumine sumat aquam.*

## ELEGIA V.

### AD AMICUM.

(Codd. 23, Burm. 18, II; Lachm. 6, III.)

Cum praecedente arctissime cohaeret. Amicus objicit poetae: Talia proloqui audes? (meretriculas laudare, honestiores feminas detrectare.) nec pudet? nonne tuus CYNTHIAE liber, quem divulgasti, omnium manibus teritur? Simulas; sed neminem fallis: lippis et tonsoribus notum est te illam unam deperire. — Propertius contra: Cur igitur frons mea hisce verbis erubescere deberet? Dicteriis et conviciis mutuam animorum conjunctionem non occulto. Ingenuus amor hominem non notat, neque est reticendus. Quod si Cynthia mihi facilis esset, etc.

„Tu loqueris, cum jam sis noto fabula libro
„Et tua sit toto CYNTHIA lecta foro?"
Quo mea verbis his aspergat tempora sudor?
Haut pudor, ingenuus haut reticendus amor.
Quod si tam facilis spiraret Cynthia nobis,
Non ego nequitiae dicerer esse caput,
Nec sic per totam infamis traducerer urbem:
Urerer et quamvis, nomine verba darem.
Quare ne tibi sit mirum me quaerere viles;
Parcius infamant: num tibi causa levis?

3, 4. Codd. omnes, praeter Gron. *Cui non his verbis. Aut pudor ingenua aut reticendus amor.* Locus vitiatus et perobscurus infeliciter exercuit interpretes

et criticos. Alii enim totum distichon tribuunt amico, alii tantum majorem versum; nonnulli de Primo Libro elegiarum intelligunt, alii de carmine superiore. Scaliger pro *sudor* corrigebat *surdo*, cogitans Virgilianum *Nos canimus surdis*, et Pseudopropertianum: *Cantabant surdo, et dabant pectora caeco.* Unde Passeratius ita exponit: „Cui etiam surdo non adspergantur tempora his verbis? Aut meretricem amas, et turpe est; aut ingenuam, et amor est silendus.“ Hac sententia omnia amatoria carmina damnantur; amici reprehensio insulsa foret. Ambigere quoque licet num *aspergere tempora surdo* recte et lepide sit dictum. Hypercriticus caliginem tenebris addidit; unde Lachmannus fatetur se non intelligere pentametrum, quem uti spurium et subdititium ejicere jubet. Rejiciendus mihi non videtur, quippe qui, ni fallor, leniter persanari possit. Membranae Groninganae opem ferunt, in quibus legitur. *Quoi non verbis his.* Repono igitur: *Quo mea verbis his aspergat* etc.; et in pentametro *Haut* pro *Aut.* At cave ne amico oratio tribuatur, neve *a pudore* pendeat adjectivum *ingenuus*, quod ad *amorem* refertur. Amicus objurgat poetam ob foedas laudes in vilissimas feminas, dum per ora ferebatur cum Cynthia consuescere. Cui Propertius: cur igitur mihi erubescendum est his verbis? Neminem fallere conor: nam notam non habet, neque tacendus est amor ingenuus veluti culpa.

8. *Nomine verba darem*, ficto nomine verba darem, simulato alterius pro Cynthiae nomine, ne illi noceam.

## ELEGIA VI.

(Codd. 4, Burm. 2, Lachm. 4, II.)

Ingenuas contempsit, viliores quaesivit, nunc pueros laudat. Versus 1, 2, 13—18 Codices elegiae VIII annectunt; reliqui sine ullo sententiarum nexu permiscentur. Ulceribus vulneribusque deformioribus in Secundo quam in caeteris Libris CYNTHIAE medicas manus admoveo, sciens equidem me incedere *per ignes suppositos cineri doloso.* Sed quamvis non paucos audiam exclamare paratos: *excessit medicina modum*, nihilosecius bono animo susceptum iter prosequar.

His saltem ut tenear jam finibus! hei mihi, si quis,
  Acrius ut moriar, venerit alter amor!
Non hic herba valet, non hic nocturna Cytaeis,
  Non Perimedea gramina cocta manu.
Quippe ubi nec causas nec apertos cernimus ictus, 5
  Unde tamen veniant tot mala, caeca via est.

Non eget hic medicis, non lectis mollibus aeger,
  Huic nullum caeli tempus et aura nocet:
Ambulat, et subito mirantur funus amici:
  Sic est incatum, quicquid habetur amor.
Ac veluti primo taurus detrectat aratra,
  Post venit assueto mollis ad arva jugo,
Sic primo juvenes trepidant in amore feroces,
  Dehinc domiti post haec aequa et iniqua ferunt.
Turpia perpessus vates est vincla Melampus,
  Cognitus Iphicli surripuisse boves;
Quem non lucra, magis Pero formosa coegit,
  Mox Amythaonia nupta futura domo.
Multa prius dominae delicta queraris oportet,
  Saepe roges aliquid, saepe repulsus eas,
Et saepe immeritos corrumpas dentibus ungues,
  Et crepitum dubio suscitet ira pede.
Nam cui non ego sum fallaci praemia vati?
  Quae mea non decies somnia versat anus?
Hostis si quis erit nobis, amet ille puellas:
  Gaudeat in puero, si quis amicus erit.
Tranquillo tuta descendis flumine cymba:
  Quid tibi tam parvi litoris unda nocet?
Alter saepe uno mutat praecordia verbo,
  Altera vix ipso sanguine mollis erit.

1. Codd. *aut mihi;* Lachmannus correxit *hei mihi.*

4. Codd. *non per Medeae gramina cocta manus.* Beroaldus emend *Perimedeae*, a Perimedea, venefica apud Theocritum. Muretus: *Perimedea mu* quod praefero. Neque praetermittenda est J. B. Pii Bononiensis conject *Non Perimedea pocula cocta manu;* praesertim quia praecedit *herba.* Broukhu citra necessitatem correxit *gramina secta.*

10. *Quicquid habetur amor.* Intelligo: qualiscumque sit, quocumque n de eo sentias.

15. Neleus Bianti Peronem negabat, nisi Iphicli boves raperet. Melamp

Biantis frater, id negotium suscepit, sed captus et in vincula conjectus fuit ab Iphiclo. Tandem liberatus, Pero Biantis uxor cessit. Ergo Melampus turpia perpessus est, non puellae amore, sed caritate in fratrem. Qua de re credendum est Propertium veteres scriptores secutum esse, qui fabulam aliter narrant, quosque aetas nobis invidit.

22. Post h. v. Codd. habent:

Necquicquam perfusa meis unguenta capillis,
Ibat et expenso planta morata gradu.

Distichon interpolatum. Si ad rem spectas, frigidum; si ad locutionem, incertum et dubium sensum capies ex illo: *expenso planta morata gradu.* Implicat insuper enervatque orationem. Id confictum puto a nitidulo quodam emerito, cujus fuit, uti ait Flaccus, *In cute curanda plus aequo operata juventus.*

28. In amore pueri tranquillo et secundo flumine tutus descendis; nullum est periculum in tam exigua unda et juxta ripam natare. Ita Passeratius. Fortasse legendum est: *Nil tibi* pro *quid tibi.*

## ELEGIA VII.

### AD GALLUM.

(Codd., Burm. 13; Lachm. 14, I).

Codd. hanc collocant in Primo Libro; sed versus 2 ostendit ad Secundum pertinere, scilicet ad tempus discidii.

Tu, quod saepe soles, nostro laetabere casu,
Galle, quod abrepto solus amore vacem.
At non ipse tuas imitabor, perfide, voces,
Fallere te nunquam, Galle, puella velit!
Dum tibi deceptis augetur fama puellis, 5
Certus et in nullo quaeris amore moram:
Perditus in quadam tardis pallescere curis
Incipis, et primo lapsus abire gradu.
Haec erit illarum contempti poena doloris,
Multarum miseras exiget una vices. 10

Haec tibi vulgares istos compescet amores,
  Nec nova quaerendo semper amicus eris.
Haec ego non rumore malo, non augure doctus:
  Vidi ego: me, quaeso, teste negare potes?
Vidi ego te toto vinctum languescere collo,
  Et flere injectis, Galle, diu manibus,
Et cupere optatis animam deponere verbis,
  Et quae deinde meus celat, amice, pudor.
Non ego complexus potui diducere vestros;
  Tantus erat demens inter utrosque furor!
Non sic Haemonio Salmonida mixtus Enipeo
  Taenarius facili pressit amore deus,
Nec sic caelestem flagrans amor Herculis Heben
  Sensit ab Oetaeis gaudia prima jugis.
Una dies omnes potuit praecurrere amores:
  Nam tibi non tepidas subdidit illa faces,
Nec tibi praeteritos passa est succedere fastus,
  Nec sinet abduci: te tuus ardor aget.
Nec mirum, cum sit Jove digna et proxima Ledae,
  Et Ledae partu: gratior una tribus;
Illa sit Inachiis et blandior heroinis,
  Illa suis verbis cogat amare Jovem.
Tu vero, quoniam semel es periturus amore,
  Utere: non alio limine dignus eras.
Quae tibi sit, felix quoniam novus incidit error:
  Et quotcunque voles, una sit ista tibi.

7. *Quadam* non de vulgari femina intelligo. Propertius puellae a ( dilectae nomen urbane et comiter tacet. Ceterum confer versus 29 et seqq

8. Gron. et Neap. *adire* — Palatinus, Heinsianus et Burmannianu *abire*, quod accipio pro *perire*. Criticus morosior clamavit: ah pereat, qui t interpretationem proponit. Dii omen avertant: eam ego commendo. Italice: ( *meno*. Qui *adire* tuentur, explicant *in limine primo deficere*. Puccius, Per. et veteres editiones: *amare*.

17. Codd. omnes *optatis verbis*. Passeratius ex uno suo: *labris*, nunc ab omnibus editionibus vulgatum. Lectionem Gron. et Neap. retineo, quia non amplius de saviis agitur, sed de consensu amicae.

25. *Praecurrere amantes* Codd.; hoc est: omnes puellas quas ante amavisti. Cum Lachmanno reposui: *amores*.

29, 30. Proxima Ledae et partui Ledae, id est Helenae et Clytaemnestrae; immo has tres forma superat.

34. Gron. et Neap. *utere;* Puccius *urere*, quod Beroaldus citra necessitatem receperat.

36. Quoniam tibi omnivolo nunc casu evenit ut unam tandem ames, hanc unam unice dilige, et tibi sit haec multarum et omnium loco. — Sic fere Passeratius, de Propertii interpretatione optime meritus nimiumque a nonnullis hodie neglectus.

## ELEGIA VIII.

### CYNTHIAE LAUDES.

(Codd. 2 et 3; Burm. 2, Lachm. 2 et 3, II.)

Versum quintum et sextum, deinde duodecim versus qui enumerantur ab 11 ad 22, veluti integrum carmen Codices referunt, quod sequitur altera elegia *Liber eram*. Mihi dubium non est hos versus ad unum idemque poema pertinere. Si tollas pulcherrimae formae laudes, cui respondet: *Nec me tam facies, quamvis sit candida, cepit*, habebis praeclarum signum capite obtruncatum.

„Qui nullam tibi dicebas jam posse nocere,
„Haesisti, cecidit spiritus ille tuus.
„Vix unum potes, infelix, requiescere mensem,
„Et turpis de te jam liber alter erit."
Liber eram et vacuo meditabar vivere lecto; 5
At me composita pace fefellit Amor.
Quaerebam sicca si posset piscis arena,
Nec solitus ponto vivere torvus aper,
Aut ego si possem studiis vigilare severis:
Differtur, numquam tollitur ullus amor. 10

Cur haec in terris facies humana moratur?
  Juppiter, ignosco pristina furta tua!
Fulva coma est longaeque manus, et maxima toto
  Corpore, et incedit vel Jove digna soror;
Aut cum Dulichias Pallas spatiatur ad aras,
  Gorgonis anguifera pectus operta comis,
Mercurio aut qualis fertur Boebeidos undis
  Virgineum primo composuisse latus;
Qualis et Ischomache Lapithae genus heroinae
  Centauris medio grata rapina mero.
Nec me tam facies, quamvis sit candida, cepit
  (Lilia non domina sint magis alba mea;
Ut Maeotica nix minio si certet Hibero,
  Utque rosae puro lacte natant folia):
Nec de more comae per levia colla fluentes,
  Non oculi geminae sidera nostra faces;
Nec si qua Arabio lucet bombyce puella
  (Non sum de nihilo blandus amator ego),
Quantum cum posito formose saltat Iaccho,
  Egit ut ovantes dux Ariadna choros;
Et quantum Aeolio cum tentat carmina plectro,
  Par Aganippeae ludere docta lyrae,
Et sua cum antiquae committit scripta Corinnae,
  Carminaque Erinnes non putat aequa suis.
Nam tibi nascenti et primis, mea vita, diebus
  Candidus argutum sternuit omen Amor.
Haec tibi contulerunt caelestia munera divi,
  Haec tibi ne matrem forte dedisse putes.
Non, non humani partus sunt talia dona:
  Ista decem menses non peperere bona.
Gloria Romanis una es tu nata puellis:
  Post Helenam haec terris forma secunda redit.

Nec semper nobiscum humana cubilia vises,
  Romana accumbens prima puella Jovi.
Hac ego nunc mirer si flagret nostra juventus? 45
  Pulchrius hac fuerat, Troja, perire tibi.
Olim mirabar, quod tanti ad Pergama belli
  Europae atque Asiae causa puella fuit:
Nunc, Pari, tu sapiens et tu, Menelae, fuisti, —
  Tu quia poscebas, tu quia lentus eras. 50
Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles;
  Vel Priamo belli causa probanda fuit.
Si quis vult fama tabulas anteire vetustas,
  Hic dominam exemplo ponat in arte meam.
Sive illam Hesperiis, sive illam ostendet Eois, 55
  Uret et Eoos, uret et Hesperios.

12. Gron. *ignoro*. Neap. *ignoro*, cui superscriptum est *vel sco;* Puccius *ignosco*. Veram puto Neapolitani correctionem. *Cur haec in terris facies humana moratur?* quaerit poeta; Juppiter! eam aspiciens et deperiens, ignosco tibi pristina illa tua furta (Europam, Inum, Ium, etc.) Qui *ignoro* legunt, ita interpretantur: pristina illa furta tua nihili facio; Cynthiae enim omnes heroides, quas amasti, pulchritudine cedunt.

14. *Vel Iove digna soror* cum Burmanno de Junone intelligo; Lachmannus contra, acriter Batavum increpans, exponit: digna quam sororem habeat Juppiter.

17, 18. Locus vexatissimus. Gron. *Mercurio et satis;* Mentelianus, Heinsianus et Rheg. *et sanctis;* Dresdensis *et sanctus*. Domitius Calderinus, deinde Puccius et Beroaldus scripserunt *Sais*, Minervam intelligentes quae in urbe Sai colebatur. Sed *Pallas* jam nominatur versu 15 proxime superiore; insuper implicatissima evadit orationis structura. In minore versu Codd. omnes *virgineum primo*. Livinejus correxit *Brimo*, id est Proserpina; et *sanctis* ex Menteliano recepit. Verum fabula narrat Mercurium Proserpinae amore correptum eam per vim complecti voluisse, virginemque in eum sic fremuisse ut ab incepto desisteret. Cereris igitur filia molliter latus Mercurio non composuit. Neque comperitur eam Boebeida, Thessaliae lacum, frequentavisse. Ex adverso constat Palladem Mercurio immitem non fuisse, et, teste Hesiodo, *pedes lavare Boebeidos undis*. Tautologiam *Pallas* et *Sais* et duram verborum juncturam tollit scriptura Codd. Bononiensis, Vaticani I et Colotiani: *et qualis*. Propertius

comparat Cynthiam Minervae cum spatiatur ad aras Dulichias, et cum Mercurio arrisit. Si Italorum haec est emendatio, dilucide et poetice emendavere. Repono *aut qualis.* — In Codd. distichon post v. 19 et 20 legitur. Trajectionem suadent cum verborum constructio et orationis claritas, tum convenientia, ne ante Iovis invictam filiam uxor Pirithoi ponatur.

21. Codd. hic habent:

Cedite jam, Divae, quas pastor viderat olim
Idaeis tunicas ponere verticibus.
Hanc utinam faciem nolit mutare senectus,
Etsi Cumaei saecula vatis agat.

Statim in primo disticho interpolatoris manum cernis. Propertius Junoni et Minervae Cynthiam comparat; nebulo clamat et eas et Venerem simul superare, adeoque exquisite addit: quum visae fuerunt *ponere tunicas.* Ventosa est haec et enormis loquacitas, ut ait Petronius: absolutissimam artem Umbri poetae dedecet. — Ad alteros versus quod spectat, non insipidum tantum sed supervacaneum votum continent, quoniam ver. 43, 44 jam nos certiores fecerant, Cynthiam non *semper nobiscum humana cubilia* visuram, *Romana accumbem prima puella Jovi.* Heu si cineres et Manes parva mortalium rerum cura maneret, quanta cum indignatione se inoptatis muneribus oneratos testarentur! Sed fortasse modice quoque de ingenua admiratione et observantia nostra subriderent.

22. Angelus Politianus legebat: *Lilia nec domina.*

29. Codd. *quantum quod.* Cum Lachmanno repono *quando cum.* Eamdem particulam repetit Propertius v. 31.

34. Alter spinosus locus. Cod. Neap. *Carmina quae quivis non putat aequa suis.* Exinde Scaliger exculpsit: *Carminaque aequaevis non putat esse suis;* quod significaret: non existimat ea esse carmina, quae aequales suae faciunt. Tortam et invenustam conjecturam merito rejecerunt viri docti. Contra Gron. *Carmina quae lyrnes non.* Antonius Volscus verum nomen in corrupto *lyrnes* latens divinavit: *Erinne*, Sapphoni aequalis. Postea locus ita expolitus fuit: *Carminaque Erinnes:* Erinne a Graecis appellata fuit rivalis Homeri. Ideo Cynthia non solum scripta sua conferebat cum scriptis Corinnae, verum etiam profitebatur carmina Erinnes *non esse aequa suis.* Nil admireris. Propertius parvi faciebat libenterque deridebat Homerica seu severiora et heroica carmina. Caeterum. v. Anthol. Graec. Tit. LXVII, Epigr. 14 in Erinnam: *Haud plus tercentum quae versibus aequat Homerum . . . Si cupis, Erinnam Sappho testudine vincat, Dum tamen Erinnae cedat in exametris.* (Ex interpretatione H. Grotii.)

35. Gron. *num tibi;* Neap. *non;* Vossianus *Nunc.* Correxi *Nam.*

36. Gron. *Arduus-Amor;* Neap. *Ardidus;* Hamburg. *Aridus.* Hertzber-

gius *ardidus* defendit: ut a *timendo* timidus, a *fervendo* fervidus, a *frigendo* frigidus, sic ab *ardendo* ardidus. Puccius vero *Candidus*, et ita Vaticanus et Cod. Passeratii.

41. Hic versus in Codd. locum v. 44 usurpat.

44. Codd. omnes *accumbens*, quod transposito versu mutare non oportet. Edd. vulg. *accumbes*.

52. Gron. *Priamo;* Neap. *Priamus*. Gron. *foret;* Neap. *fuit*. De Cynthia agitur, non de Helena.

## ELEGIA IX.

### DE CAPTIVITATE SUA.

(Codd. 29, Burm. 22, II; Lachm. 24, III.)

Lepida ac pereleganti allegoria se ad Cynthiam reductum narrat.

Hesterna potus media cum nocte vagarer,
  Nec me servorum duceret ulla manus,
Obvia, nescio quot pueri mihi, turba minuta,
  Venerat: (hos vetuit me numerare timor.)
Quorum alii faculas, alii retinere sagittas, 5
  Pars etiam visa est vincla parare mihi.
Ut nudum exuerant, horum lascivior unus
  „Arripite hunc, inquit, nam bene nostis eum.
„Hic erat; hunc mulier nobis irata locavit."
  Dixit, et in collo jam mihi nodus erat. 10
Hinc alter jubet in medium propellere; et alter:
  „Intereat, qui nos non putat esse deos!
„Haec te non meritum totas expectat in horas;
  „At tu nescio quas quaeris, inepte, fores.
„Quae cum Sidoniae nocturna ligamina mitrae 15
  „Solverit, atque oculos moverit illa graves,
„Afflabunt tibi non Arabum de gramine odores,
  „Sed quos ipse suis fecit Amor manibus.

„Parcite jam, fratres; jam certos spondet amores,
„Et jam ad mandatam venimus ecce domum." 20
Atque ita mi injecto dixerunt rursus amictu:
„I nunc, et noctes disce manere domi."

1. *Hesterna* Codd. omnes. Heinsius proposuit *Extrema*, quod receptum fuit ab iis, qui hanc cum El. XVII conjungere cupiunt, invitis Musis.

7. Codd. *Sed nudi fuerant, quorum.* Fonteinius felicissima divinatione *Ut nudum exuerant, horum.* Alias omitto, nam emendationem firmat et jubet versus 21: *atque ita mi injecto dixerunt rursus amictu.*

19. Codd. *spondet;* Puccius *spondeo;* quod nonnullis magis blanditur.

21. Neap. *duxerunt;* Gron. *direxit.* Heinsius restituit *dixerunt.* Item Codd. *me* pro *mi.*

## ELEGIA X.

### CYNTHIAE NOCTES.

(Codd. 14, Burm. 11, II; Lachm. 5, III.)

Par pari retulit, contemptus contemptibus opposuit, multivolum, omnivolum se jactavit; hac ratione fastum non a precibus, non a lacrimis expugnatum contrivit. Amator rursus in gratiam acceptus monet: *Contemnite, amantes!*

Non ita Dardanio gavisus Atrida triumpho est,
Cum caderent magnae Laomedontis opes:
Nec sic errore exacto laetatus Ulixes,
Cum tetigit carae litora Dulichiae:
Nec sic Electra, salvum cum adspexit Oresten, 5
Cujus falsa tenens fleverat ossa soror:
Nec sic incolumem Minois Thesea vidit,
Daedaleum lino cum duce rexit iter:
Quanta ego praeterita collegi gaudia nocte:
Immortalis ero, si altera talis erit. 10
At dum demissis supplex cervicibus ibam,
Dicebar sicco vilior esse lacu.

Nec mihi jam fastus opponere quaerit iniquos,
  Nec mihi ploranti lenta sedere potest.
Atque utinam non tam sero mihi nota fuisset 15
  Conditio! cineri nunc medicina datur.
Ante pedes caecis lucebat semita nobis:
  Scilicet insano nemo in amore videt.
Hoc sensi prodesse magis: contemnite, amantes:
  Sic hodie veniet, si qua negavit heri. 20
Pulsabant alii frustra, dominamque vocabant:
  Mecum habuit positum lenta puella caput.
Haec mihi devictis potior victoria Parthis;
  Haec spolia, haec reges, haec mihi currus erunt.
Magna ego dona tua figam, Cytherea, columna, 25
  Taleque sub nostro nomine carmen erit:
„Has pono ante tuam tibi, diva, Propertius aedem
  „Exuvias, tota nocte receptus amans."
Nunc a te, mea lux, veniat mea litore navis
  Servata, an mediis sidat onusta vadis. 30
Quodsi forte aliqua nobis mutabere culpa,
  Vestibulum jaceam mortuus ante tuum!

14. *Sedere* fastidii cujusdam et contemptus vim habet.

19. Male in nonnullis edd. *contendite, amantes.*

29. Gron. *Hunc ad te — venit litore.* Neap. *Veniet — litora.* Alii Codd. *Nunc — veniat.* Puccius: *Nunc a te.* Locum non jure vexatum jam expolierat et exposuerat Antonius Perrejus: *Nunc a te est, in tua est manu, utrum navim meam succedere portui, an sidere velis in medio mari;* hoc est, ad te spectat, a te est, utrum amor nuper redintegratus stabilis sit, an non. Propertius exclusus per totum annum non in unius noctis felicitate portum salutemque se invenisse putat; quaerit enim benevolentiam perpetuam, statimque adjungit: quod si forte erga me mutaberis aliqua culpa mea, subita mors sit erroris mei debita poena. A Puccio sumsi *a te*, pro *ad te.* Ita in el. IX Lib. Tertii: *Hoc mihi, Maecenas, laudis concedis, et a te est, Quod ferar in partes ipse fuisse tuas.*

31. Codd. *nobis mutabere;* interpretes: si Cynthia, in novam culpam incidens, nobis mutaretur. Contra poetae mentem, ut mea est opinio. Jam bonus

Passeratius notaverat *culpa* ambiguum esse, et *tua* vel *mea* pariter subintelli posse; additque: an *nobis* pro *nostra?* Reponendum fortasse: *nostra*.

## ELEGIA XI.

### AMORIS IMPERIUM.

(Codd. 30, Burm. 23, II; Lachm. 25, III.)

In Codd. disticha sunt de more permixta. Propertii sodales, Tullus prae caeteris, hortati erant Umbrum juvenem, ut militiae operam impenderet in Asiamque proficisceretur, quum bellum Phraatem inter Tiridatemque effervesceret, atque Augustus opem Tiridati laturus crederetur. (Confer el. subsequentem.) Promiserat ille, quippe qui a Cynthia esset exclusus; at nunc, foedere renovato, negat, praevidens animo caeli mutatione aut locorum intervallo saevi Pueri imperium non frangi. Medio in convivio, Cynthia subridente et pacata, sibi ipsi irridet, qui arma et bellica praemia somniavisset; nunquam eum pudebit amicae tantum servire; hic, hic inter pocula, puellas et flores tibia docta sonet. Num Musae amoris ignarae sunt? Nonne Jovis Optimi Maximi furta celebrantur? Si Alitis arma metuenda neminem nisi victum demittunt, *communis culpae cur reus unus agor?* etc. Translationes rapidae, incitata oratio callideque inordinata Liberi, Veneris et Phoebi ebrietatem enuntiant.

Num jam, dure, paras Phrygias nunc ire per undas,
  Et petere Hyrcani litora tuta maris?
Spargere et externa communes caede Penates,
  Et ferre ad patrios praemia dira Lares?
Quo fugis ah demens? nulla est fuga: tu licet usque
  Ad Tanaim fugias, usque sequetur Amor.
Non si Pegasio vecteris in aëre dorso,
  Nec tibi si Persei moverit ala pedes,
Vel si te sectae rapiant talaribus aurae,
  Nil tibi Mercuri proderit alta via. 1
Instat semper Amor supra caput, instat amanti
  Et gravis ipsa super libera colla sedet.
Excubat ille acer custos, et tollere nusquam
  Te patietur humo lumina capta semel.

Et jam si pecces, deus exorabilis ille est, 15
Si modo praesentes viderit esse preces.
Una contentum pudeat me vivere amica?
Hoc si crimen erit, crimen Amoris erit.
Ista senes licet accusent convivia duri,
Nos modo propositum, vita, teramus iter. 20
Illorum antiquis onerantur legibus aures:
Hic locus est, in quo, tibia docta, sones,
Quae non jure vado Maeandri jacta natasti,
Turpia cum faceret Palladis ora tumor.
Mi nemo objiciat: libeat tibi, Cynthia, mecum 25
Rorida muscosis antra tenere jugis.
Illic aspicies scopulis haerere sorores,
Et canere antiqui dulcia furta Iovis:
Ut Semela est combustus, ut est deperditus Io,
Denique ut ad Trojae tecta volarit avis. 30
Quod si nemo extat qui vicerit Alitis arma,
Communis culpae cur reus unus agor?
Nec tu Virginibus reverentia moveris ora:
Hic quoque non nescit, quid sit amare, chorus;
Si tamen Oeagri quaedam compressa figura 35
Bistoniis olim rupibus adcubuit.
Hic ubi te prima statuent in parte choreae,
Et medius docta cuspide Bacchus erit,
Tum capiti sacros patiar pendere corymbos:
Nam sine te nostrum non valet ingenium. 40

1. Codd. *dura*. Interpretes nugati sunt de Cynthia lucri studio in bellum proficiscente, manusque hostium sanguine tingere cupiente. Hinc sententia totius carminis claudicat. Puccius servavit *dure*.

2. Codd. *litora nota*. Tritum nec verum epitheton. Heinsius conjecit *lata*, Lachmannus *nuda*, Hertzbergius *nauta*. Ego vero *tuta*. Ovidius *Trist*. el. 5, v. 36: *Et date naufragio litora tuta meo*. Propertius petit litora tuta, non amoris imperio subjecta.

3. Codd. *alterna caede.* Fonteinius egregie reposuit *externa.* De Roma intellige bellum gesturis cum Parthis. *Communes Penates*, quia Tiridates Phraates, qui contendebant de regno, patriam fraternis caedibus foedabant.

12. Codd. *ipse.* Beroaldus correxit *ipsa.* Non amanti tantum instat, sed quoque gravis est, qui se jam liberum putat.

13. Gron. *nusquam;* caeteri Codd. *nunquam.*

17. *Una contentum amica*, i. e. amori tantum vacare.

30. Ad Ganymedem respicit.

33. Nec tibi erubescendum erit, quae amas: nam et ipsae amoris sc gnarae.

35. Fabulatur Calliopen ab Apolline sub figura Oeagri, quo Musa flagrabe compressam fuisse. Hinc *quaedam compressa figura Oeagri.*

37. Codd. omnes *Hic ubi me*, praeter Vaticanum V, qui habet *te.* Cynthia loquitur, cui Calliope dederat lyram, et quae scripta sua comparab carminibus Corinnae; in el. XV: *Carmina tam sancte nulla puella colit.*

40. *Sine te*, de Cynthia intellige, non de Baccho, uti voluerat Passeratii

# ELEGIA XII.

## AD TULLUM.

(Codd. Burm. Lachm. 6, 1.)

Anno ab u. c. DCCXXXIII Augustus libertatem Cyzicenis ademit, eosque regendos suo nomine commisit vel T. Vulcatio Tullo, viro consulari et patruo Tulli cui inscripta est elegia, vel alii Praetori, cum quo Tullus noster militare debebat. Quapropter liquet carmen, quod in Primo Libro Codd. legitur, in Secundum esse transferendum. Iterum se in Asiam profecturum negat.

Non ego nunc Hadriae vereor mare noscere tecum
  Tulle, neque Aegaeo ducere vela salo;
Cum quo Rhipaeos possim conscendere montes,
  Ulteriusque domos vadere Memnonias.
Sed me complexae remorantur verba puellae,
  Mutatoque graves saepe colore preces.

Illa mihi totis argutat noctibus ignes,
  Et queritur nullos esse relicta deos.
Illa meam mihi se jam denegat; illa minatur,
  Quae solet ingrato tristis amica viro. 10
His ego non horam possum durare querelis:
  Ah pereat, si quis lentus amare potest!
An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas,
  Atque Asiae veteres cernere divitias,
Ut mihi deducta faciat convicia puppi 15
  Cynthia, et insanis ora notet manibus,
Osculaque opposito dicat sibi dedita vento,
  Et nihil infido durius esse viro?
Tu patrui meritas conare anteire secures,
  Et vetera oblitis jura refer sociis. 20
Nam tua non aetas unquam cessavit Amori;
  Semper at armatae cura fuit patriae:
Et tibi non unquam nostros Puer iste labores
  Adferat, et lacrimis omnia nota meis.
Me sine, quem semper voluit fortuna jacere, 25
  Hanc animam extremae reddere nequitiae.
Multi longinquo periere in amore libenter,
  In quorum numero me quoque terra tegat.
Non ego sum laudi, non natus idoneus armis:
  Hanc me militiam fata subire volunt. 30
At tu seu mollis qua tendit Ionia, seu qua
  Lydia Pactoli tinguit arata liquor,
Seu pedibus terras, seu pontum carpere remis
  Ibis, et asserti par eris imperiis:
Tum tibi, si qua mei veniet non immemor hora, 35
  Vivere me duro sidere certus eris.

10. Gron. et Neap. *solet irato.* Vaticanus I et Colotianus *ingrato.*
17. Gron. et Neap. *Opposito dicat — debita vento.* Mendosus et subobscurior

locus, in cujus explanatione discrepant viri eruditi. Franciscus Modius: osc Cynthiam non amori debere, sed ventis contrariis. Scaliger: Cynthia exprob vento, sibi eripi oscula *ab ipso*. Fonteinius legebat *ponto* pro *vento*, ita Propertius appellaret *oppositum pontum* mare *quod Cynthia ante oculos es habitura, quando, navis itineri parata, eo foret deducta.* Parum intelli Lachmannus corrigit *ut posito* pro *opposito*, et in Modii explicationem a verbis concedit. Hoc idem ait Hertzbergius, Cynthiam debere oscula Prope vento contrario, *qui se opposuerit.* Nec defuit qui argutatus sit *ventum* e vestem tenuissimi contextus, quam Cynthia amanti opponebat, ut savia propel ret. Unius literae vitium tot ingeniorum tormenta paravit. Codd. Leidensis I Vossianus I, Burmannianus II, Ed Rheg. et primae edd. Venetae pro *del* praebent *dedita.* Oscula, quibus Cynthia amatorem retinere voluit, quum j navis deducta esset, vento dedita fuerunt, id est vana, a ventis dissipata, rap Ita eleg. XII Lib. Prim. v. 8: *Quidquid jurarunt, ventus et unda rapit;* in el. pseudoprop. Lib. IV, 3: *fallacia verba Non auditurí diripuere Noti.*

20. *Vetera oblitis jura refer sociis.* Bello Mithridatico Cyziceni libertat a Romanis meruere. Dio Cassius memoriae prodidit ob civium Romanor caedem ab iis patratam an. DCCXXXIII ab Augusto libertate privatos fuis ideo Praetor cum exercitu missus fuit, qui oblitis sociis jus redderet eod modo quo ante libertatem acceptam, hoc est civitatem regeret Augusti nomi Perperam nonnulli intelligunt de libertate ab ipso Augusto Cyzicenis restit an. DCCXXXIX. Hoc vetat cum chronologia Propertiana, tum elegia XX Lib. Tertii, quae Tullo adhuc Cyzici cessanti inscribitur; vetat praecipue Lati linguae proprietas. Nam *jus referre* minime est *libertatem restituere*, sed *dicere*, quod proprium est praetoris officium. Neque *socii* nuncupari poter populi, quibus libertas adempta fuerat, neque *oblitis* fidei in Romanos patr leges restituerentur. Quod si *oblitos* alio sensu accipere velis, non recte P pertius dixisset *oblitam* veteris juris civitatem, quae sex tantum abhinc an libertatem amiserat. Postremo libertatis restitutio militiae pericula non praem tiat, de quibus deinde agitur.

24. Codd. *omnia vota* (Mentelianus: *ultima vota*); ea omnia mala q scribendo et lacrimando nota feci. Verisimili conjectura Jacobius proponeb *lacrimis ah mala nota meis.*

32. *Arata*, agros, sata, culta. Gron. *aratra.*

34. Codd. *accepti pars eris imperii.* Ulcus inest. Si Tullus libertat sublatum mittebatur, *acceptum* non erat ejus imperium; sin restitutum, p non fuisset imperii, quod civibus reddebatur. Heinsius proposuit *asserti*, scili ab Augusto; quod, dum Propertius elegiam exarabat, omnibus notum er Paldamus conjecit *et Augusti par eris imperiis;* cui favet v. 2 El. XIII Lib. Te *et Augusti fortia signa sequi.*

# ELEGIA XIII.

## DE AMORE.

(Codd. 12, Burm. 9, II; Lachm. 2, III.)

In venustissimo carmine aemulatus est idyllium primum Moschi, quod eleganter latine vertit Angelus Politianus.

Quicunque ille fuit, puerum qui pinxit Amorem,
Nonne putas miras hunc habuisse manus?
Hic primum vidit sine sensu vivere amantes,
Et levibus curis magna perire bona.
Idem non frustra ventosas addidit alas, 5
Fecit et humano corde volare deum:
Scilicet alterna quoniam jactamur in unda,
Nostraque non ullis permanet aura locis.
Et merito hamatis manus est armata sagittis,
Et pharetra ex humero Gnosia utroque jacet. 10
Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem,
Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit.
In me tela manent, manet et puerilis imago,
Sed certe pennas perdidit ille suas.
Evolat heu nostro quoniam de pectore nusquam, 15
Assiduusque meo sanguine bella gerit.
Quid tibi jucundum siccis habitare medullis?
Si pudor est, alio trajice tela tua.
Intactos isto satius tentare veneno:
Non ego, sed tenuis vapulat umbra mei. 20
Quam si perdideris, quis erit, qui talia cantet?
Haec mea Musa levis, gloria magna tua est;
Quae caput, et digitos, et lumina nigra puellae,
Et canit ut soleant molliter ire pedes.

1. Gron. *primum qui pinxit;* sed Neap. *puerum.*

10. *Jacet* Codd. omnes. Insidiantem enim describit amorem, qui *ante ferit, tuti quam cernimus hostem.*

15. *Evolat e nostro* Codd. Muretus reposuit *heu.*

18. In Neap. *Si puer est, alio traice puella tuo.*

23. Neap. *Qui caput;* sed Gron. *Quae caput.* Deinde in v. 24 Neap. *Et canet;* Gron. *Et canit.* Neapolitana scriptura implicatam reddit orationem Groningana fluentem.

## ELEGIA XIV.

### SOMNIUM NAUFRAGII.

(Codd. 26, Burm. 20, II; Lachman 19, III.)

Vidi te in somnis fracta, mea vita, carina
  Ionio lassas ducere rore manus;
Et quaecumque in me fueras mentita fateri,
  Nec jam humore graves tollere posse comas,
Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen,
  Aurea quam molli tergore vexit ovis.
Quam timui ne forte tuum mare nomen haberet,
  Teque tua labens navita fleret aqua!
Quae tum ego Neptuno, quae tum cum Castore fratri,
  Quaeque tibi excepi tum, Dea Leucothoe!
Quod si forte tuos vidisset Glaucus ocellos,
  Esses Ionii facta puella maris;
Et tibi ob invidiam Nereides increpitarent,
  Candida Nisaee, cerula Cymothoe.
At tu, vix primas extollens gurgite palmas,
  Saepe meum nomen jam peritura vocas.
Jamque ego conabar summo me mittere saxo,
  Cum mihi discussit talia visa metus.

8. Codd. *atque tua.* Hertzbergius emendavit *Teque tua*, monens Propertium semel tantum posuisse conjunctionem *atque* ante consonantem, idque in

fragmento poematis *Dierum: atque Sabina feri contudit arma Tati;* quod carmen non esse Propertianum in dissertatione praemissa probare nitor

10. *Jam Dea*, Codd. Beroaldus et Puccius: *tum Dea.* Repetitio juvat.

12. *Puella maris;* ita in *Pervigilio Veneris* habemus *puellas ruris, puellas maris.*

13. Codd. *ob invidiam;* Puccius *prae invidia.* Eleganter Marklandus proponebat: *ab invidia.*

15. Hoc distichon Codd. inserunt ante v. 11 et seqq. Trajectio videtur necessaria, quia naufragae puellae clamores, Propertii nomen vocantis, ei somnum discusserunt.

17. Hic Codices addunt

Sed tibi subsidio delphinum currere vidi,
Qui, puto, Arioniam vexerat ante lyram.

Distichon, satis concinnum, interpolatum judico. Metus, uti postremus versus declarat, excussit somnum; atqui omnis timoris causa jam abiisset, si vidisset delphinum currentem Cynthiae subsidio. Absonum quoque est amatorem tunc conari se mittere saxo, cum jam deorum auxilio salva esset puella; nam lentum eum merito dices, qui naufraganti amicae suppetias ferre cogitat eo tantum horae momento, quo periculum evanescit.

## ELEGIA XV.

### AD CYNTHIAM PROFISISCENTEM.

(Codd. 26, Burm. 20, II; Lachm. 20, III.)

In Codd. praecedenti adhaeret. Novam elegiam hinc esse inchoandam admonebat Burmannus, quia sequentia nihil commune habeant cum praecedentibus de Propertii somnio, quod optime ultimo illo versu absolvatur: *Quum mihi discussit talia visa metus.* Sic etiam censuit J. D. Lennepius, et recentiores editores duas elegias separaverunt. Cod. Neapolitanus novam elegiam incipit a. v. 7.

Nunc admirentur, quod tam mihi pulcra puella
Serviat, et tota dicar in urbe potens.
Non, si jam Gygae redeant et flumina Croesi,
Dicat: De nostro surge, poeta, toro.
Nam mea cum recitat, dicit se odisse beatos: 5
Carmina tam sancte nulla puella colit.

Seu mare per longum mea cogitet ire puella,
  Hanc sequar, et fidos una aget aura duos;
Unum litus erit sopitis, unaque tectum
  Arbor, et ex una saepe bibemus aqua, 10
Et tabula una duos poterit componere amantes:
  Prora cubile mihi, seu mihi puppis erit.
Omnia perpetiar, saevus licet urgeat Eurus,
  Velaque in incertum frigidus Auster agat.
Quicunque et venti miserum vexastis Ulixen, 15
  Et Danaum Euboico litore mille rates,
Et qui movistis duo litora, cum rudis Argus
  Dux erat ignoto missa columba mari.
Illa meis tantum non umquam desit ocellis,
  Incendat navem Juppiter ipse licet! 20
Certe isdem nudi pariter jactabimur oris;
  Me licet unda ferat, te modo terra tegat.
Sed non Neptunus tanto crudelis amori,
  Neptunus fratri par in amore Jovi.
Testis Amymone, latices dum ferret in Argis, 25
  Compressa, et Lernae pulsa tridente palus.
Jam deus amplexu votum persolvit; at illi
  Aurea divinas urna profudit aquas.
Crudelem et Borean rapta Orithyia negavit:
  Hic deus et terras et maria alta domat. 30
Crede mihi: nobis mitescet Scylla, nec unquam
  Alternante voret vasta Charybdis aquas;
Ipsaque sidera erunt nullis obscura tenebris;
  Purus et Orion, purus et Haedus erit.
Quod mihi si ponenda tuo sit corpore vita, 35
  Exitus hic nobis non inhonestus erit.

3. Codd. *Non si Cambysae.* Herodotus Cambysem describit insanum, scelestum, parricidam et sacrilegum; sed apud historicos pro ditissimo non designatur, nec

vulgo talis fertur. Burmannus correxit *jam Gygae*, codicum vestigia premens. Gyges fuit rex Lydiae ditissimus, eique Pactolus et Hermus conveniunt magis quam Cambysae, etsi Lydiam sub ejus dominatu positam quoque fuisse constat.

6. Post hunc Codices habent

Multum in amore fides, multum constantia prodest:
Qui dare multa potest, multa et amare potest.

Pessimum atque omnium pseudopropertianorum absurdissimum versiculum habes in pentametro. Interpolator nec sententiarum nexum nec communem sensum observavit. Broukhusius opinatur versum minorem in Codice archetypo deesse, sciolumque hunc suum panxisse. »Solebant isti nebulones barbarorum temporum, inquit doctus vir, si lacunam hic illic offenderent, eam explere, idque vel de suo, quod multoties factum, vel consutis ex aliquo antiquiore laciniis. Hic ipse versiculus effectus est ex Ovidio Lib. 3 *Am.*, vs. 8: *Imperat ut captae, qui dare multa potest.*« Mirum tamen est, in improbum sartorem vel sutorem nihil animadvertere criticos recentiores. Marklandus corrigebat: *multa negare potest.* Santenius: *Qui dare multa potest, non et amare potest.* Burmannus: *Qui dare multa potest, stulte et amare potest.* Ego totum distichum omitto. Nec fidem nec constantiam suam S. Aurelius jactare poterat, qui per annum in turpibus voluptatibus totum se abdiderat. Cod. Neap. et fortasse Codd. vetustiores superiori annectebant sex primos versus hujus elegiae; illa cum non recte concluderetur, amatorio praecepto interpolator absolvit rem. Meminerat Milanionis (eleg. I Lib. Primi) et versus: *Tantum in amore preces et benefacta valent*, suumque majorem fabricavit; alterum ab Ovidio male mutuavit.

14. Gron. et Neap. *frigidus Auster.* Puccius, Perrejus et Heinsianus: *turbidus.* Verius epitheton. Horatius, *Carm.* III, 3: *Auster Dux inquieti turbidus Adriae.*

17. Gron. et Neap. *ratis Argo;* Puccius et Antonius Volscus reposuerunt *rudis Argus.*

25. Gron. *cum ferret;* Neap. *dum ferret.*

29. Raptus Orithyiae probant Boream nec crudelem nec ab amore alienum esse.

32. Gron. et Neap. *alternante vorax.* Interpretes subintelligunt *nocebit, erit infesta.* Sed in Vaticano V legitur *voret* pro *vorax*, sincera, ut puto, scriptura, quam librariorum calamus in *vorans*, vel *vorax* corrupit. Ovidius *Met.* XIII, 30:

*Infestant:* vorat *haec ruptas, removitque carinas.*

Sed cur *vasta* Charybdis? Libenter legerem cum Burmanno: *torta Charybdis.*

# ELEGIA XVI.

## DE AMANTE.

(Codd. 27, Burm. 20, II; Lachm. 21, III.)

At vos incertam, mortales, funeris horam
  Quaeritis, et qua sit mors aditura via;
Quaeritis et coelo, Phoenicum inventa, sereno,
  Quae sit stella homini commoda, quaeque mala.
Rursus et objectum fletis capiti esse tumultum, 5
  Cum Mavors dubias miscet utrimque manus;
Praeterea domibus flammam, dominisque ruinam,
  Neu subeant labris pocula nigra tuis.
Solus amans novit, quando periturus et a qua
  Morte; neque hic Boreae flabra, neque arma timet, 10
Seu pedibus Parthos sequitur, seu classe Britannos,
  Et maris et terrae caeca pericla viae.
Jam licet et Stygia sedeat sub arundine remex,
  Cernat et infernae tristia vela ratis:
Si modo clamantis revocaverit aura puellae, 15
  Concessum nulla lege redibit iter.

5, 6. Codd. hos versus post 10 collocant, hic contra v. 11 et 12, sententia et grammatica refragantibus. Heimreichius distichum transposuit.

7. Codd. *domibus ruinas*, repetita voce *domibus*. Lachmannus emendavit *dominis*.

8. Gron. *Heu;* Neap. *Neu.*

13. *Stygiam arundinem* cum D'Orvillio et Dousis explico pro arundinetis, quibus ripa Stygis obsita fingebatur, et ubi Charon animas transvehendas expectabat. Virgilius *Georg.* IV, 478: *limus niger et* deformis arundo *Cocyti tardaque palus inamabilis unda.*

15. Gron. *Si modo damnatum;* Neap. Hamburgensis, edd. Rheg. et Ald. *Si modo clamantis.* Romanis mos erat mortuum ter inclamare. Clamantis igitur aura puellae, notat Heimreichius, sonus est vocis puellae clamantis nomen amatoris. Accedit, quod verum est poetas *damnatum* haud raro vocare hominem

morti addictum, sed hoc in loco epitheton otiosum videtur, cum jam de Charonte et inferna rate sermo fuerit; contra *clamantis* morem patrium, amoris et pietatis officium, accommodate memorat.

## ELEGIA XVII.

### DE CYNTHIA.

(Codd. in 29, Burm. in 22, II; Lachm. in 24, III.)

Codd. hanc cum XIV conjungunt. Separandas esse monuerat Guyetus. In illa amator ad Cynthiam post longam exclusionem a Cupidinibus reducitur; hic Propertio libere primo mane jam licet amicam visere, *quae in lecto sola* erat.

Mane erat, et volui, si sola quiesceret illa,
  Visere: et in lecto Cynthia sola fuit.
Obstupui: non illa mihi formosior unquam
  Visa, neque ostrina cum fuit in tunica:
Talis visa mihi somno dimissa recenti. 5
  O quantum per se candida forma valet!
„Quo tu matutinus, ait, speculator amicae?
  „Me similem vestris moribus esse putas?
„Non ego tam facilis: sat erit mihi cognitus unus:
  „Vel tu, vel si quis verior esse potest. 10
„Apparent non ulla toro vestigia presso
  „Signa voluptatis, nec jacuisse duos.
„Adspice, ut in toto nullus mihi corpore surgat
  „Spiritus, admisso notus adulterio."
Dixit, et opposita propellens savia dextra, 15
  Prosilit in laxa nixa pedem solea;
Ibat et hinc castae narratum somnia Vestae.
  Neu sibi, neve mihi quae nocitura forent.
Sic ego tam sancti custode recludar amoris,
  Ex illo felix nox mihi nulla fuit! 20

2. Neap. *at in lecto;* Gron. recte: *et in lecto.*

4. *Cum fuit* Codd. omnes. Poeta illam vestem dicit, ad quam refertur v. 11. El. I Lib. Sec. *Si videam Cois fulgentem incedere notis;* pariter v. 15. El. X Lib. Tertii: *qua pridem oculos cepisti veste Properti.*

5. Codd. *demissa.* Cum Guyeto repono *dimissa.*

6. *Heu quantum*, Codd. omnes. Schraderus proponebat *o quantum.*

10. *Verior*, veracior.

12. *Voluptatis* Codd. omnes. Neque emendatione, neque interpretatione opus est.

17. Hoc distichum Codd. collocant post v. 4. Hinc varia doctorum interpretumque molimina; sed Aethiopem dealbarunt. Quod si in propriam sedem traducas, ut monuerat jam Fonteinius, nihil dilucidius. Cynthia, ubi illa dicta dedit, prosilit e lecto, et inde ibat narratum somnia Vestae. Veteres ad depulsionem malorum somniorum, quam viderant speciem narrabant Diis. Sacris quoque mala somnia expiabantur: Tibullus Lib. I, El. 5: *Ipse procuravi ne possent saeva nocere Somnia, ter salsa deveneranda mola.*

19. Gron. *Custode recludor amoris.* Neap. *custode reludor.* Alias varias manuscriptorum lectiones et criticorum conatus missa faciam: fastidiosa enim sunt. Una literula correcta, scripturae mendum sanavit Jacobius: *recludar*, optative dictum. Sic Amor, qui ipse custos est Cynthiae, mihi recludat clausas fores, ut ex illo mane noctem beatam haud amplius habui.

## ELEGIA XVIII.

### AD GALLUM.

(Codd. Burmannus et Lachmannus, 5, I.)

In Secundum Librum collocavi, suadentibus v. 20, 25 et 26, qui ostendunt post discidium exaratam fuisse elegiam, et postquam Propertius *infamis* traductus fuerat *per totam urbem*, quasi *nequitiae caput.* Confer el. V hujus libri.

Invide, tu tandem voces compesce molestas,
  Et sine nos cursu, quo sumus, ire pares.
Quid tibi vis, insane? meos sentire furores?
  Infelix, properas ultima nosse mala,
Et miser ignotos vestigia ferre per ignes, 5
  Et bibere e tota toxica Thessalia.

Non est illa vagis similis collata puellis:
  Molliter irasci non solet illa tibi.
Quodsi forte tuis non est contraria votis,
  At tibi curarum milia quanta dabit! 10
Non tibi jam somnos nox ulla relinquet ocellis:
  Illa feros animis adligat una viros.
Ah mea contemptus quoties ad limina curres,
  Cum tibi singultu fortia verba cadent!
Et tremulus moestis orietur fletibus horror, 15
  Et timor informem ducet in ore notam,
Et quaecunque voles, fugient tibi verba querenti,
  Nec poteris, qui sis, aut ubi, nosse miser.
Tum grave servitium nostrae cogere puellae
  Discere, et exclusum quid sit abire domum. 20
Nec jam pallorem toties mirabere nostrum,
  Aut cur sim toto corpore nullus ego;
Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti:
  Nescit amor priscis cedere imaginibus.
Quodsi parva tuae dederis vestigia culpae, 25
  Quam cito de tanto nomine rumor eris!
Non ego tum potero solatia ferre roganti,
  Cum mihi nulla mei sit medicina mali.
Sed pariter miseri socio cogemur amore,
  Alter in alterius mutua flere sinu. 30
Quare quid possit mea Cynthia, desine, Galle,
  Quaerere: non impune illa rogata venit.

1. Eam sequamur vitae rationem, quam, veluti a natura datam, unusquisque nostrum secutus est. Propertius unam amare jactitabat; Gallum contra veluti erronem notat El. VII Sec. Lib. *tibi deceptis augetur fama puellis, Certus et in nullo quaeris amore moram.*

3. Pro *meos furores* Hemsterhusius proponebat *meae*, i. e. Cynthiae.

8. Scaliger, Codicis Cujaciani auctoritate, emendavit *sciet illa;* Lachmannus audacius: *non solet illa: time.* Scriptura opt. Cod. non est corrigenda.

11. Codd. *non illa relinquet ocellos.* Arduum est aliquid elicere ex accusativo *ocellos*, nisi intelligere velis Cynthiam oculos amanti unguibus scarificare atque effodere assuevisse. Cum Fonteinio scripsi: *nox ulla relinquet ocellis.* In Excerptis Scaligeri legitur quoque *ocellis.*

20. Codd. *domum.* Heinsius malebat *domo.* Sed *abire* etiam cum accusativo usurpatur.

## ELEGIA XIX.

### FRAGMENTA.

(Codd. 6, Burm. 5, Lachm. 6, II.)

Haec et fragmenta quae sequuntur, Codices conglutinant, et versus permiscent nulla sententiarum cohaerentia, immo sententiis saepe refragantibus. Ad duo carmina distincta profecto pertinent, quibus plura desunt. In hoc poeta acriter perstringit matronas quae, ut ait Livius, nulla neque verecundia neque virorum imperio contineri limine poterant; in altero detestatur obscenas picturas, quibus parietes domesticae variabantur argumentis ipsis ad crimen incitantibus.

. . . . . .

His olim, ut fama est, vitiis ad praelia ventum,
His Trojana vides funera principiis.
Aspera Centauros eadem dementia jussit
Frangere in adversum pocula Pirothoum.
Cur exempla petam Grajum? tu criminis auctor, 5
Nutritus duro, Romule, lacte lupae.
Tu rapere intactas docuisti impune Sabinas;
Per te nunc Romae quidlibet audet Amor.

. . . . . .

Templa Pudicitiae quid opus statuisse puellis,
Si cuivis nuptae quolibet ire licet? 10
Sed non immerito velavit aranea fanum
Et mala desertos occupat herba deos.
Felix Admeti conjux et lectus Ulixis
Et quaecumqne viri femina limen amat!

6. *Nutritus-Romule.* Hujus constructionis exempla quoque praebent Ovidius

*Her.* XIV, v. 73; *Surge, age, Belide, de tot modo fratribus unus;* et Juven. IV, 24: *tu succinctus patria quondam, Crispine, papyro.* — Gron. et Neap. *duro lacte;* Mentelianus *durae lupae.*

10. Codd. *quodlibet esse licet*, vel *cuilibet esse licet.* Nimium tumidus tropus. Optime Schraderus restituit *quolibet ire licet.* Id commendat ultimus versus: *quaecumque viri femina limen amat.* Adde Livii locum supra laudatum.

## ELEGIA XX.

### AD CYNTHIAM FRAGMENTA.

(Codd. 6, Burm 5, Lachm. 6, II.)

Non ita complebant Ephyreae Laidos aedes,
  Ad cujus jacuit Graecia tota fores;
Turba Menandreae fuerat nec Thaidos olim
  Tanta, in qua populus lusit Erichthonius;
Nec quae deletas potuit componere Thebas, 5
  Phryne tam multis facta beata viris.

. . . . . .

Quae manus obscenas depinxit prima tabellas,
  Et posuit casta turpia visa domo,
Ille puellarum ingenuos corrupit ocellos,
  Nequitiaeque suae noluit esse rudes. 10
Ah gemat in terris ista qui protulit arte
  Jurgia sub tacita condita laetitia!
Non istis olim variabant tecta figuris:
  Tum paries nullo crimine pictus erat.

. . . . . .

Me juvenum pictae facies, me numina laedunt, 15
  Me tener in cunis et sine voce puer.
Me laedit si multa tibi dedit oscula mater,
  Me soror et cum quae dormit amica simul.
Omnia me laedunt: timidus sum (ignosce timori)
  Et miser in tunica suspicor esse virum. 20

Quin etiam falso fingo tibi saepe propinquos,
Oscula ne desint qui tibi jure ferant.
Quos igitur tibi custodes, quae limina ponam,
Quae nunquam super pes inimicus eat?
Nam nihil invitae tristis custodia prodest: 25
Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est.

12. Codd. *jurgia* Ruhnkenius proposuit *orgia*. Verius fortasse, sed e fragmento carminis difficile est eruere sinceram sententiam.

15. Codd. *me nomina laedunt*. Explicant: formosorum juvenum nomina a Cynthia pronuntiata, vel nomina tabulis subscripta. Codex Passeratii habet *numina*, nempe divorum imagines, quae saepenumero moechorum effigiem exhibebant.

18. Male in Gron. et Neap. *cum qua*. „Me laedit amica cum qua soror Cynthiae dormit“ plane ineptum est.

21. Codd. *fingis tibi*. Falsos parentes tibi fingis ne etc. In hac elegia Propertius Cynthiam non accusat; zelotypiam tantum et suspiciones suas depingit: *in tunica suspicor esse virum*. Reposui: *fingo tibi*.

## ELEGIA XXI.

### AD PONTICUM.

(Codd., Burm., Lachm. 7, I.)

V. 22: *Tunc ego Romanis praeferar ingeniis* post editum Primum Librum carmen conditum fuisse ostendit apertissime.

Dum tibi Cadmeae dicuntur, Pontice, Thebae
Armaque fraternae tristia militiae,
Atque, ita sim felix, primo contendis Homero,
Sint modo fata tuis mollia carminibus;
Nos, ut consuemus, nostros agitamus amores, 5
Atque aliquid duram quaerimus in dominam;
Nec tantum ingenio, quantum servire dolori
Cogor, et aetatis tempora dura queri.
Hic mihi conteritur vitae modus, haec mea fama est;
Hinc cupio nomen carminis ire mei. 10

Me laudent doctae solum placuisse puellae,
  Pontice, et injustas saepe tulisse minas;
Me legat assidue post haec neglectus amator,
  Et prosint illi cognita nostra mala.
Te quoque si certo puer hic concusserit arcu 15
  (Quod nolim nostros evoluisse deos),
Longe castra tibi, longe miser agmina septem
  Flebis in aeterno surda jacere situ;
Et frustra cupies mollem componere versum,
  Nec tibi subjiciet carmina serus Amor. 20
Tunc me non humilem mirabere saepe poetam,
  Tunc ego Romanis praeferar ingeniis:
Nec poterunt juvenes nostro reticere sepulcro:
  ARDORIS NOSTRI MAGNE POETA JACES.
Tu cave nostra tuo contemnas carmina fastu: 25
  Saepe venit magno fenore tardus Amor.

6. Aliquid quaerimus, excogitamus ad expugnandam dominae duritiem.

16. Gron., Neap. *eviolasse deos;* mendose. Beroaldus, Perrejus, Puccius: *evoluisse*, deductum a fusis Parcarum. Ad hunc locum Kuinoelius observat: „Ut aliis in locis Parcae fata caeterorum mortalium nere dicuntur, ita hoc loco dicitur Venus cum populo Cupidinum nere fata amatorum. Suavissima pictura.“ Ovidius *Heroid.* XII: *Tunc quae dispensant mortalia fila, sorores Debuerant fusos evoluisse meos.* Optat Propertius ne amicus tanta et sibi cognita amoris mala experiatur.

17. *Agmina septem.* Septem contra Thebas. Ponticus, quem *heroo carmine clarum* dixit Ovidius (*Trist.* IV, 10. 47), Thebaida, epicum carmen, scripserat, ad quod hic et primus versus elegiae respiciunt.

## ELEGIA XXII.

### IN SACRA ISIACA.

(Codd. 33, Burm. 24, II; Lachm. 29, III.)

Tristia jam redeunt iterum solemnia nobis:
  Cynthia jam noctes est operata decem.

Atque utinam Nilo pereat quae sacra tepente
  Misit matronis Inachis Ausoniis!
Quae dea tam cupidos toties divisit amantes, 5
  Quocumque illa fuit, semper amara fuit.
Tu certe Jovis occultis in amoribus, Io,
  Sensisti, multas quid sit inire vias,
Cum te jussit habere puellam cornua Juno,
  Et pecoris duro perdere verba sono. 10
Ah quoties quernis laesisti frondibus ora!
  Mansisti stabulis abdita pasta tuis!
An, quoniam agrestem detraxit ab ore figuram
  Juppiter, idcirco facta, superba, dea es?
An tibi non satis est fuscis Aegyptus alumnis? 15
  Cur tibi tam longa Roma petita via?
Quidve tibi prodest viduas dormire puellas?
  Sed tibi, crede mihi, cornua rursus erunt,
Aut nos e nostra te, saeva, fugabimus urbe:
  Cum Tiberi Nilo gratia nulla fuit. 20

6. Codd. *quaecumque illa fuit.* Jacobius explicat: sed illa, quaecumque fuit (Deam autem esse nego), semper amara fuit. Puto contra mentem poetae, qui Isidem vere deam fatetur: *quae dea tam cupidos toties divisit amantes.* Hertzbergius: »quantacumque sit ea, vel qualicumque honore inter numina fruatur.« Verum *sit* non est in *fuit.* Lachmannus infeliciter correxit: *Quaecumque illa facit, semper amara facit.* Reposui *quocumque;* cui respondet versus 16: *Cur tibi tam longa Roma petita via?* et v. 3 et 4: *Nilo tepente Misit matronis Inachis Ausoniis.* Verbum *esse* pro *venire* usurpatur non a poetis tantum. *Certior fieret quo die in Tusculanum essem futurus;* scribit Cicero ad Att. XV, 4; ubi vide Bootii adnotationem. Item Suetonius, *Oct.* 16: *nec prius surrexisse ac militibus in conspectum fuisse.*

11. Quoties durissimo cibo os tuum macerasti! Quid? tu, nunc superba et dea facta, mansisti abdita et pasta in stabulis! Orationis junctura non est mollis, nihilominus scriptura conjecturis non vexanda. Si aliquid mutandum esset, legerem cum Heinsio *Mansisti et stabulis.* Acumen solitum deseruit Lachmannum, qui *laedere ora frondibus quernis* obscenum in sensum traxit.

19. Sacra Isiaca Roma ejecta fuerant, deinde restituta.

# ELEGIA XXIII.

## AD CYNTHIAM.

(Codd. 33, Burm. 24, II; Lachm. 29, III.)

In Codd. praecedenti annectitur. Nihil est inter duo carmina commune. Illo in Isidem invehitur, in hoc Cynthia vino, talis, jocis indulget. Convivium producitur, mensa Falerno madet, sidera cadunt; illa bibit, talos jactat, amici, qui aliud cupit, immemor.

At tu, quae nostro nimium placata dolori es,
  Noctibus his vacui sic faciamus iter?
Non audis, et verba sinis mea ludere, cum jam
  Flectant Icarii sidera tarda boves.
Lenta bibis; mediae nequeunt te frangere noctes: 5
  An nondum est talos mittere lassa manus?
Ah pereat quicumque meracas repperit uvas,
  Corrupitque bonas nectare primus aquas!
Icare, Cecropiis merito jugulate colonis,
  Pampineus nosti quam sit amarus odor. 10
Tu quoque, o Eurytion, vino, Centaure, peristi,
  Nec non Ismario tu, Polypheme, mero.
Vino forma perit, vino corrumpitur aetas,
  Vino saepe suum nescit amica virum.
Me miserum, ut multo nihil est mutata Lyaeo! 15
  Jam bibe; formosa es: nil tibi vina nocent,
Cum tua praependent demissae in pocula sertae,
  Et mea deducta carmina voce legis.
Largius effuso madeat tibi mensa Falerno,
  Spumet et aurato mollius in calice! 20
Nulla tamen lecto recipit se sola libenter:
  Est quiddam, quod vos quaerere cogat Amor.

Semper in absentes felicior aestus amantes:
Elevat assiduos copia longa viros.

1. *Placata*, lenta, tranquilla, iners. Marklandus corrigebat *pacata*. — Codd. *dolore*. Cum Scaligero scripsi *dolori*, nobis dolentibus.

2. Codd. *ter faciamus iter*. Corruptam ex industria credo scripturam obscenitatis gratia; at neque argute, neque Attice, si quid video. Repono fidenter *sic*. Ita in El. X Lib. Tert. *Natalisque tui sic peragamus iter*.

7. Meracas uvas, inquit Passeratius, e quibus meracum, id est merum vinum exprimitur.

18. *Deducta*, tenui, molli.

## ELEGIA XXIV.

### LAUDES RURIS.

(Codd. 19, Burm. 15, II; Lachm. 11, III.)

Etsi me invito discedis, Cynthia, Roma,
Laetor, quod sine me devia rura colis.
Nullus erit castis juvenis corruptor in agris,
Qui te blanditiis non sinat esse probam;
Nulla neque ante tuas orietur rixa fenestras, 5
Nec tibi clamatae somnus amarus erit.
Sola eris, et solos spectabis, Cynthia, montes,
Et pecus, et fines pauperis agricolae.
Illic te nulli poterunt corrumpere ludi,
Fanaque peccatis plurima causa tuis. 10
Illic assidue tauros spectabis arantes,
Et vitem docta ponere falce comas;
Atque ibi rara feres inculto tura sacello,
Hoedus ubi agrestes corruet ante focos.
Protinus et nuda choreas imitabere sura, 15
Omnia ab externo sint modo tuta viro.

Ipse ego venabor, jam nunc me sacra Dianae
  Suscipere, et Veneri ponere vota juvat.
Incipiam captare feras, et claudere pinnis
  Cornua et audaces ipse monere canes. 20
Non tamen, ut vastos ausim tentare leones,
  Aut celer agrestes cominus ire sues.
Haec igitur mihi sit lepores audacia molles
  Excipere, et stricto figere avem calamo,
Qua formosa suo Clitumnus flumina luco 25
  Integit, et niveos abluit unda boves.
Tu, quoties aliquid conabere, vita, memento
  Venturum paucis me tibi luciferis.
Sic me nec solae poterunt avertere silvae,
  Nec vaga muscosis flumina fusa jugis, 30
Quin ego in assidua metuam tua nomina lingua:
  „Absenti nemo ne nocuisse velit."

2. Gron. et Neap. *colis;* sed Mentelianus *coles.*

19, 20. Codd. *Reddere pinu Cornua. Pinu* dativo casu Venatores cervorum et aliarum ferarum cornua suspendebant arborum ramis, praesertim ad honorem Dianae. Observavit Burmannus vota et sacra Dianae suscepta jam memorata esse in v. praecedente; additque Lachmannus non satis apto loco inter ipsa venandi officia votum solvi. Adjungam venatorem, qui vix *incipit captare feras* et *audaces monere canes*, diis opima spolia venationis non reddere. Praeterea in Vaticano I, Vossiano III et D'Orvilliano legitur *pinni* pro *pinu*, atque in Hamburgensi et Dresdensi *pini;* in primis edd. *pinnu.* Quamobrem feliciter conjecit Burmannus: *et nectere* (vel *prendere*) *pinnis Cornua* Pinnae sunt pennae varii coloris quae innexae funiculo adhibentur ad feras terrendas, coercendas et in retia impellendas; hoc venatores vocant *formidinem.* V. Forcellinii Lexicon. Sed neque *nectere* neque *prendere* proprium est vocabulum; solemne, ut ita dicam, in hac venatione est *claudere*, i. e. continere, coercere: Virgilius *Aen.* XII v. 750: *Cervum puniceae* septum *formidine pennae;* Lucanus IV v. 437: *Dum pavidos formidine cervos* Claudat, *odoratae metuentes aera pennae.* Seneca *De Clem.* I, 12: *Sic feras lineis et pinna* clausas *contineas;* Seneca, Hippolyto: v. 48: *Picta rubenti linea pinna vano* claudat *terrore feras.* Reposui: *et claudere pinnis Cornua.* Cornua sunt cervi; atque poeta subito addit: non tamen ausim tentare leones et sues.

31. In hunc locum veluti in scopulum allisi sunt critici. Longum est numerare conjecturas. Hoc satis erit dictum: eruditus vir de magicis verbis a Propertio pronuntiandis hariolatus est. Fredericus Jacobius corrigit *metuam* pro *mutem*, et, si recte sententiam suam accepi, interpretatur: haec ipsa solitudo tua curam eximere mihi non potest, quin metuam ne pulchritudinis tuae fama, quae in omnium ore est, mihi noceat, id est satis te occultare possit. Ingeniose profecto. Ego vero, nulla emendatione adjecta, interpunctionem castigans et sententias distinguens, sic explico: Solitudo tua, silvae, flumina tanti mihi esse nequeunt quin assidue, nomen tuum proferens, dicam: *Absenti nemo ne nocuisse velit!* — Praecedit enim *tu quoties* aliquid conabere, *vita, memento* etc. v. 27; deinde aliquis qui eam *blanditiis non sinat esse probam* (v. 4) castum rus adire poterat. Si quis meliora praebet, libenter audiam.

32. Gron. *Ne nocuisse.* Neap. *non.*

## ELEGIA XXV.

### AD AUGUSTUM.

(Codd. 10, Burm. 8, II; Lachm. 9, III.)

Heimreichius primus vidit versus a 27 ad 36, quos Codices inserunt elegiae IX Lib. Tert. *Ad Maecenatem*, ad hanc pertinere. Et reapse in illa Propertius solos amatorios lusos se scripturum profitetur; in hac epica carmina promittit. In eodem poemate contradictio esse nequit. Bellum, quod Augustus in Parthos et Indos moliebatur, ad an. u. c. DCCXXXIII vel ad initium subsequentis nos revocat, dum prima juventute adhuc florebat poeta; hinc versus: *Mollia tu coeptae fautor cape lora juventae.*

Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis,
  Et campum Haemonio jam dare tempus equo.
Jam libet et fortes memorare ad praelia turmas,
  Et Romana mei dicere castra Ducis.
Ut caput in magnis ubi non est tangere signis, 5
  Ponitur hic imos ante corona pedes;
Sic nos, nunc inopes heroum conscendere carmen,
  Pauperibus sacris vilia tura damus.
Nondum etiam Ascraeos norunt mea carmina fontes,
  Sed modo Permessi flumine lavit Amor. 10

Nunc volo subducto gravior procedere vultu;
  Nunc aliam citharam me mea Musa docet.
Surge, anime, ex humili jam carmine: sumite vires,
  Pierides! magni nunc erit oris opus.
Quod si deficiant vires, audacia certe 15
  Laus erit: in magnis et voluisse sat est.
Jam negat Euphrates equitem post terga tueri
  Parthorum, et Crassos se tenuisse dolet.
India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho,
  Et domus intactae te tremit Arabiae; 20
Et si qua extremis tellus se subtrahit oris,
  Sentiet illa tuas postmodo capta manus.
Haec ego castra sequar: vates tua castra canendo
  Magnus ero: servent hunc mihi fata diem!
Mollia tu coeptae fautor cape lora juventae, 25
  Dexteraque immissis da mihi signa rotis.
Prosequar et currus utroque ab litore ovantes,
  Parthorum astutae tela remissa fugae,
Claustraque Pelusi Romano subruta ferro,
  Antonique graves in sua fata manus. 30
Te duce, vel Jovis arma canam caeloque minantem
  Coeum et Phlegraeis Oromedonta jugis,
Celsaque Romanis decerpta Palatia tauris
  Ordiar et caeso moenia firma Remo,
Eductosque pares silvestri ex ubere reges: 35
  Crescet et ingenium sub tua jussa meum.

1. Audax et lyricum initium carminis. Non bene Heinsius proponebat *Est* pro *Sed*.

7. *Laudis conscendere carmen* habent Codices. Nonnulli carpunt *conscendere carmen*, quia, ut ajunt, carmen conscendi non potest. Recens criticus a Passeratio mutuavit *conscendere culmen* et veluti suum inventum protulit. Recipe, si credis; dummodo furcis expellas Oudendorpii mirandam conjecturam: *tauri conscendere collum*, quam non ego memorarem, nisi praeclaram

Burmannus praedicavisset. Locutione *conscendere carmen* minime offendor; at mihi magna lis est cum illo *laudis carmine. Carmen laudis*, carmen ἐγκωμιαστικόν quis dixerit pro carmine heroico, lyrico, epico? Lego igitur: *heroum conscendere carmen.* Ita scribit Propertius El. II Lib. Tert. *Quis te carminis heroi tangere jussit opus;* ita Ovidius *Fast.* II, 125: *Quid volui demens elegis imponere tantum Ponderis? heroi res erat ista pedis.*

13. Codd. *surge anima.* Burmannus reposuit *anime.* Discrimen inter *animam* et *animum* statuit Iuvenalis *Sat.* XV, v. 147: *Mundi principio indulsit communis conditor illis* (animantibus) *Tantum animas, nobis ANIMUM quoque.*

16. Post hunc versum Codices dant:

Aetas prima canat Veneres, extrema tumultus:
Bella canam quando scripta puella sat est.

Insulsa verba et interpolata. Id enim significant: juvenis cantavi puellam, senex canam bella et tumultus. At senem se vocat interpolator; Propertius contra *coepta juventute*, florebat versu 25.

25. Codd. *mollis tu.* Broukhusius emendavit *mollia.*

## ELEGIA XXVI.

### AD LYNCEUM.

(Codd. 34, Burm. 25, II; Lachm. 30, III.)

Codices hanc et XXIX conglutinant cum laudibus in Virgilium. (V. Appendicem ad hunc Librum.) Optime de hac elegia meruit Heimreichius, qui ejiciendos jussit versiculos Propertio indignos, simulque animadvertit carmen quo poeta Lyncei perfidiam narrat, tota sententia dissidere ab eo, quo laetatur Lynceum communes *adiisse deos.* Veritatis tanta est vis, ut facile se per se ipsa defendat, neque argumenta requirat.

Cur quisquam faciem dominae jam credat amico?
Sic erepta mihi paene puella mea est.
Expertus dico: nemo est in amore fidelis;
Formosam raro non sibi quisque petit.
Polluit ille deus cognatos, solvit amicos, 5
Et bene concordes tristia ad arma vocat,
Hospes in hospitium Menelao venit adulter:
Colchis et ignotum nonne secuta virum est?

Lynceu, tune meam potuisti, perfide, curam
  Tangere? nonne tuae tunc cecidere manus? 10
Quid, si non constans illa et tam certa fuisset?
  Posses in tanto vivere flagitio?
Tu mihi vel ferro pectus, vel perde veneno:
  A domina tantum te modo tolle mea.
Te socium vitae, te corporis esse licebit, 15
  Te dominum admitto rebus, amice, meis:
Lecto te solum, lecto te deprecor uno:
  Rivalem possum non ego ferre Jovem.
Ipse meas solus, quod nil est, aemulor umbras,
  Stultus quod nullo saepe timore tremo. 20
Una tamen causa est, qua crimina tanta remitto:
  Errabant multo quod tua verba mero.
Sed nunquam vitae fallet me ruga severae:
  Omnes jam norunt, quam sit amare bonum.

1. Gron. *credit;* Neap. *credat.* Deinde Gron. *amari*, Neap *amori.* Puccius *amico*, et ita vet. edd. Veriorem puto lectionem ob majorem sententiae perspicuitatem, et quia in v. 3: Amor nominatur, cui respondet v. 5: *Polluit ille deus.*

20. Codd. *stultus quod stulto;* molesta repetitio et illepida. Fonteinius reposuit *nullo:* saepe tremo ubi nulla causa timoris est.

## ELEGIA XXVII.

### DE TRIUMPHO CAESARIS.

(Codd. 4, Burm. 3, III; Lachm. 3, IV.)

Bellum in Parthos molitum, non susceptum, quum Tiridates anno u. c. DCCXXXIV signa Crassi et captivos Romanos reddidisset, significat elegiam conscriptam fuisse anno DCCXXXIII vel ineunte subsequente. A Tertio Libro in Secundum transtuli. Versuum perturbatum ordinem restitui.

Arma Deus Caesar dites meditatur ad Indos,
  Et freta gemmiferi findere classe maris.

Magna, viri, merces: parat ultima terra triumphos;
  Tigris et Euphrates sub tua jura fluent;
Seres et Ausoniis venient provincia virgis; 5
  Adsuescent Latio Partha tropaea Iovi.
Ite, agite, expertae bello date lintea prorae,
  Et solitum armigeri ducite munus equi.
Omina fausta cano: Crassos clademque piate:
  Ite et Romanae consulite historiae. 10
Ipsa tuam serva prolem, Venus! Hoc sit in aevum,
  Cernis ab Aenea quod superesse caput.
Mars pater et sacrae fatalia lumina Vestae,
  Ante meos obitus sit, precor, illa dies,
Qua videam spoliis oneratos Caesaris axes, 15
  Ad vulgi plausus saepe resistere equos,
Tela fugacis equi, et braccati militis arcus,
  Et subter captos arma sedere duces.
Inque sinu carae nixus spectare puellae
  Incipiam, et titulis oppida victa legam. 20
Praeda sit haec illis, quorum meruere labores,
  Mi sat erit Sacra plaudere posse Via.

3. *Viri;* milites alloquitur in Asiam profecturos.

5. Codd. *sera*, *sed Ausoniis*. Interpretes *seram* referunt ad *ultimam* terram v. 2: Ultima terra veniet sera, sed tamen veniet etc. Frigida sententia in lyrico carmine, quaeque parum Augusto grata fuisset. Praeterea inter *ultimum terram* et *seram* est versus alia nomina substantiva praeferens. Janus Gulielmus et Nicolaus Heinsius reposuerunt *Seres et Ausoniis* conjectura, quam veram, non tantum elegantem judico. Librarii in nominibus propriis saepissime haerent et labuntur. Sic Gron. v. 9 habet *classes* pro *Crassos*. Notum est Horatianum (Carm. I, 12) *Seras et Indos*, praecedente *Parthos Latio imminentes*.

11, 12. Hos versus Codd. post 18 collocant.

17. Distichum post v. 20 inserunt Codd., unde dura et intolerabilis verborum constructio a Criticis notata.

20. Codd. *oppida capta* post *captos duces*, scribarum culpam existimo. Reposui *victa*. Tibullus, Lib. Sec. 5: *Ante suos currus oppida* victa *ferat*.

# ELEGIA XXVIII.

## AD AMICAM.

(Codd. 5, Burm. 4. III; Lachm. 4, IV.)

Recte h. l. ponitur, ut primus et ultimus versus declarant. Propertius a militia abhorrere, manubias non concupiscere fusius juraverat El. XI et XII hujus Libri; in hac iterum iterumque profitetur.

Pacis Amor deus est, pacem veneramur amantes:
  Sat mihi cum domina praelia dura mea.
Nec mihi mille jugis Campania pinguis aratur,
  Nec bibit e gemma divite nostra sitis;
Non tamen inviso pectus mihi carpitur auro, 5
  Nec miser aera paro clade, Corinthe, tua.
O prima infelix fingenti terra Prometheo!
  Ille parum cauti pectoris egit opus:
Corpora disponens mentem non vidit in arte.
  Recta animi primum debuit esse via. 10
Nunc maris in tantum vento jactamur, et hostem
  Quaerimus, atque armis nectimus arma nova.
Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas:
  Nudus at inferna, stulte, vehere rate.
Victor cum victis pariter miscebitur umbris; 15
  Consule cum Mario, capte Jugurtha, sedes;
Lydus Dulichio non distat Croesus ab Iro.
  Optima mors, propria quae venit acta die.
Me juvat in prima coluisse Helicona juventa,
  Musarumque choris implicuisse manus; 20
Me juvat et multo mentem vincire Lyaeo,
  Et caput in verna semper habere rosa.
Atque ubi jam Venerem gravis interceperit aetas,
  Sparserit et nigras alba senecta comas,

Tum mihi naturae libeat perdiscere mores, 25
  Quis deus hanc mundi temperet arte domum;
Qua venit exoriens, qua deficit, unde coactis
  Cornibus in plenum menstrua luna redit;
Unde salo superant venti; quid flamine captet
  Eurus, et in nubes unde perennis aqua; 30
Si ventura dies, mundi quae subruat arces;
  Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas;
Aut cur Perrhaebi tremuere cacumina Pindi,
  Solis et atratis luxerit orbis equis;
Cur serus versare boves et plaustra Bootes, 35
  Pleïadum spisso cur coit igne chorus;
Curve suos fines altum non exeat aequor,
  Plenus et in partes quattuor annus eat;
Sub terris si jura deûm et tormenta Gigantum,
  Tisiphones atro si furit angue caput; 40
Aut Alcmaeoniae furiae aut jejunia Phinei;
  Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas,
Num tribus infernum custodit faucibus antrum
  Cerberus, et Tityo jugera pauca novem;
An ficta in miseras descendit fabula gentes, 45
  Et timor haud ultra quam rogus esse potest.
Exitus hic vitae superet mihi! vos, quibus arma
  Grata magis, Crassi signa referte domum.

2. Codd. *stant*. Livinejus et Heinsius malebant *sat*.

3—5. Codd. v. 3 post 4 et 5 ante 4 collocant. Ad v. 5 Neap. *Nec tamen*. Gron. *Non tamen*, suffragantibus Leidensi II, et Vossiano IV. Sententia versuum trajectionem jubet, Groningana scriptura indicat.

14. Codd. *ad infernas rates;* Perrejus corrigebat: *ab inferna rate*. Scribo cum Schradero *at inferna rate*.

15. Gron. *miscebimur undis;* Neap. *umbris*.

18. Gron. *parca quae venit apta die*. Neap. *parca quae venit acta*. Dresdensis, Hamburgensis *parta quae venit*. Cum Passeratio intelligo: optimum est

fato mori, non mari aut bello, praeter naturam, praeterque fatum. Sed *parca*, vel *parta* hoc non significant. Reposui *propria*. Hora quae cuique a natura praefixa fuit.

24. Gron. *sparserit integras;* Neap. *sparserit et integras;* Hamburgensis et Dresdensis *sparsit et integras.* Perrejus et Bononiensis *sparserit et nigras.*

31. Codd. *Sit ventura dies.*

36. *Pleïadum igne*, splendore.

39. Codd. *sint, sunt, sin.* Deinde omnes *tormenta Gigantum*, non sine sale dictum. Memorat supplicia Gigantum graviora, inde incredibiliora. Hauptius corrigebat: *tormenta nocentum.* Frigidulum.

## ELEGIA XXIX.

### AD LYNCEUM POETAM.

(Codd. 34, Burm. 25, II; Lachm. 30, III.)

In Codd. conjungitur cum XXVI. Epilogus est Secundi Libri. Lynceus, qui aliquid in Cynthiam tentaverat, alio fortasse trajecerat ignes suos. Propertius gaudet eum tandem amatorem factum; deinde leviorem Musam suam celebrat, per quam regnat *mixtas inter conviva puellas.* Ambigunt viri docti, num Lynceus idem sit ac Ponticus qui Thebaida composuerat. (v. El. 21.) Nulla dubitatio erit, si recte legis v. 17: *Desine Achilleo componere verba cothurno*, id est stilo epico, Homerico.

Lynceus ipse meus seros insanit amores:
  Serum te nostros laetor adire deos.
Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris
  Proderit, aut rerum dicere posse vias?
Aut quid Gargetti tibi prosunt carmina lecta? 5
  Nil juvat in magno vester amore senex.
Tu satius memorem lusus imitere Philetam
  Et non inflati somnia Callimachi.
Nam, cursus licet Aetoli referas Acheloi,
  Fluxerit ut magno fractus amore liquor, 10
Atque etiam ut Phrygio fallax Maeandria campo
  Errat, et ipsa suas decipit unda vias;

Qualis et Adrasti furiit vocalis Arion,
  Tristis ad Archemori funera victor equus: —
Non jam Pharaeae prosunt tibi fata quadrigae
  Aut Capanei magno grata ruina Iovi.
Desine Achilleo componere verba cothurno,
  Desine, et ad molles membra resolve choros!
Incipe jam angusto versus includere torno,
  Inque tuos ignes, dure poeta, veni!
Tu non Antimacho, non tutior ibis Homero:
  Despicit et magnos recta puella deos.
Sed non ante gravi taurus succumbit aratro,
  Cornua quam validis haeserit in laqueis,
Nec tu tam duros per te patieris amores:
  Trux tamen a nobis ante domandus eris.
Harum nulla solet rationem quaerere mundi,
  Nec cur fraternis luna laboret equis,
Nec si post Stygias aliquid restabimus undas,
  Nec si consulto fulmina missa tonent.
Adspice me, cui parva domi fortuna relicta est,
  Nullus et antiquo Marte triumphus avi,
Ut regnem mixtas inter conviva puellas
  Hoc ego, quo tibi nunc elevor, ingenio.
Me juvet hesternis positum languere corollis,
  Quem tetigit jactu certus ad ossa deus!
Non tamen haec ulli venient ingrata legenti,
  Sive in amore rudis, sive peritus erit.
Haec quoque perfecto ludebat Iasone Varro,
  Varro Leucadiae maxima flamma suae.
Haec quoque lascivi cantarunt scripta Catulli,
  Lesbia quîs ipsa notior est Helena.
Haec etiam docti confessa est pagina Calvi,
  Cum caneret miserae funera Quintiliae.

Et modo formosa qui jussa Lycoride Gallus 45
Mortuus inferna vulnera lavit aqua!
Cynthia quin etiam versu laudata Properti,
Has inter si me ponere Fama volet.

2. Codd. *solum te*, id est, unum est quod laetor. Reposui *serum;* emendationem, quam laudat Ribbeckius, reperi in contextu Heimreichii, nescio utrum conjectura sua, an aliena.

5. Et locus hic non leviter criticos torsit. Gron. *erethei;* Neap. *erechti;* Pentelianus *Erechtaei;* quam vocem recipiunt qui cogitant de Aeschylo, Erechtheo, id est Atheniensi. Sed quisnam Aeschylum nudo *Atheniensis* nomine designaret? Praeterea nulla esse potest in hac elegia mentio de Aeschylo. Cod. Ossianus *Cretaei*, id est Epimenidis Cretensis, qui poema de Argonautica conscripsit. Puccius *Crithei*, scilicet Homeri, a nympha matre Critheide. Perrejus Beroaldus: *Tyrtaei.* Barthius *Cittaei* (Zenonis). Heinsius *Smyrnaei.* Jacobius *Aetnaei* (Empedoclis Siculi); Paldamus *Lucili.* Verum docti viri senserunt desiderari nomen scriptoris, qui de philosophia poetico carmine concinne disseruerit; nam ad Socratem v. 2, atque ad Epicurum v. 6 respiciunt. Quam ob causam Turnebus et Scaliger conjecerant *Lucreti*, cujus poemata Epicuri doctrinam explicant, et, teste Tullio, „tum terebantur manibus Romanorum.“ Difficile tamen creditu nomen proprium scripsisse Propertium, neque nomen Lucretii notum tam foede corrupsissent libri scripti. Jam Burmannus monuerat Dicurus bis in *Sylvis* a Statio vocari *Gargettius: senior Gargettius*, et *monitus os dat Gargettius auctor*, a loco ubi ortum habuit. Hinc Ungerus conjectura, quam unice veram censeo, emendavit: *Quid tibi Gargetti.* Propertius ait: Quid mihi prosunt praecepta philosophiae Socraticae aut Epicureae? quid juvant *monitus os dat Gargettius auctor* de amore scribens? nil valet hic senex vester. Epicurus enim librum de amore composuerat.

7. Agitatissimus quoque locus. Optimi Codd. *memorem Musis*, vel *Musis memorem* habent; Leidensis I et d'Orvillianus *meliorem Musis;* quam lectionem dedit Scaliger: melior, id est acceptior Musis. Locutio flaccida, non Propertiana. Sed haec eruditorum conjecturae numero paene sunt infinitae. Marklandus: *Tu satius memorem Musis;* Struchtmeyerus: *Tu satius Musae numeros imitere Philetae;* Burmannus: *Tu satius mollem Musis;* Santenius: *Tu satius Musam leviorem imitere Philetae;* Heinsius: *Tu satius Mimnermum aut Coum imitere Philetam;* Oppiersius: *Tu satius Mimnermum aut Musam imitere Philetae;* Lachmannus: „*Battus memorem Musis imitere Philetam* (Βαττω, Βαττις, amica Philetae); Jacobius: *Tu satius Meropem Musis;* Hertzbergius: *Tu socius Musis Mimnermi imitere Philetam;* Eldikius vero: *Tu satius teneri lusus imitere*

*Philetae;* quia (notat Burmannus) Philetas *Παιγνια* seu *lusus* carmine elegiaco scripsit. Unde Ungerus reposuit: *Tu satius memorem lusus imitere Philetam.* Hoc versu *lusus* Philetae memorantur, in subsequente *somnia* Callimachi. Emendationem recepi.

8. Imitare somnia Callimachi non inflati. Alii interpretantur: non imitare somnia Callimachi inflati; quae somnia Scaliger intelligit Callimachi *αἴτια*, morosum et obscurum, ut ait, opus, quod ad nos non pervenit.

9 et seqq. Certamen Herculis et Acheloi fluminis ob amorem Dejanirae, flexus Maeandri per Phrygiam labentis, pictura furiantis Arionis, equi humana voce praediti, quadrigae Amphiarai cum domino subito terrae hiatu absorptae, et mors Capanei descriptiones, fabulae, parecbasesque erant poematis Thebaidos, cui Lynceus manum admoverat. Quamvis haec omnia, inquit Propertius, grandiore ore et magnifice pronuntiares, minime tibi proderunt tumida et sesquipedalia verba apud puellam. Gron. v. 9 *nam cursus;* Neap. *nam rursus.* Heinsianus et Burmannianus I *Jam;* quod praeferrem.

10. Gron. et Neap. *factus amore.* Puccius *fractus.*

11. Codd. *atque etiam;* forsitan *Jamne.*

13. Codd. omnes et edd. *fuerit Arion.* Repone *furit*, quartae conj. vel *furuit*, de qua tamen voce V. Forcellinium. Statius enim Lib. VI v. 424—30:

Senserat adductis alium praesagus Arion
Stare ducem loris, dirumque expaverat insons
Oedipodioniden: jam illinc a limine discors
Iratusque oneri insolito truculentior ardet.
Inachidae credunt accensum laudibus: ille
Aurigam fugit, aurigae furiale minatur
Efferus etc.

Minax et efferus Arion, tristis nunc, quamquam victor, etc.

15. Gron. et Neap. *Non Amphiaraëae prosunt fata quadrigae.* Mentelianus, Leidensis I *possunt tibi fata;* Leidensis II, Vossiani, Burmanniani *prosunt tibi fata quadrigae.* D'Orvillianus: *prosint tibi*, sed secunda et tertia in *Amphiaraëae* corripiuntur. Muretus correxit *Amphiaraëae nil prosunt fata quadrigae.* At si omittas *tibi* enervis erit oratio. Scaliger emendaverat: *non, non Amphiaraëae tibi fata quadrigae Prosint, aut Capanei grata ruina Iovi.* In nonnullis enim Codd. *magno* desideratur. Roberti Ungeri divinationem recepi: *Non jam Pharaeae.* Pharae vel Pherae oppidum in Laconia. Quadrigae Amphiarai, teste Statio, Laconicae erant.

17. Gron. *Aeschyleo cothurno;* Neap. contra *Achilleo.* Editores in errorem induxit *Achilleus cothurnus*, Homericus, epicus cothurnus; omnesque scripserunt *Aeschyleo*, praeter Scaligerum et Broukhusium, qui tamen intelligi putabat de

tragoedia quadam inscripta *Achille* a Lynceo concinnata. Lynceus idem est ac Ponticus qui *Thebaida* exaraverat. Ne credas cothurnum tragicis tantum convenire: Propertius eum quoque tribuit Pindaro: *Haec ego non humili referam memoranda cothurno, Qualis Pindarico spiritus ore tonat;* et Juvenalis: *Altum satira sumente cothurnum.* Plura invenies apud Forcellinium.

21. Non tutus eris Antimachi et Homeri gratia, quos imitaris.

23. Codd. *gravis;* Vulpius reposuit *gravi.*

26. Codd. *ante domandus;* Burmannus proponebat *arte*, quia *ante* jam legitur in v. 23.

29. Gron. *aliquid restaverit undas;* Neap. *restabit ad undas.* Wassenbergius correxit *aliquid restabimus undas.*

36. Hic Codd. inserunt *Virgilii Laudes.* V. appendicem hujus Libri proxime sequentem.

39. Hortatur Lynceum ut Varronis Attacini exemplo, relicto heroico carmine, ad amatorios lusus confugiat. Facilis transitio.

45. *Quam multa Lycoride;* hoc esset: Quot vulnera lavat Gallus, quae ei Lycoris inflixerat. Agnominatio ingrata, cum de homine agatur qui manus sibi intulerit. Marklandus conjecerat: *qui flente Lycoride;* melius Fonteinius: *qui iussa;* laudans Suetonii verba: Gallus „accusatorum denuntiationibus et senatusconsultis ad necem compulsus.“

# *APPENDIX LIBRI SECUNDI.*

## VIRGILII LAUDES.

### VERSUS INTERPOLATI El. XXIX.

Virgilius obiit an. a. u. c. DCCXXXV, feruntque eum an. DCCXXXI Aeneidos libros II, IV et VI Augusto recitavisse. Si igitur ad temporum ordinem respicias, nihil vetat quin Maronis laudes ultima elegia Secundi Libri insertae Propertio tribuantur. Vetant autem potiora argumenta. Primo enim cum Elegia XXIX nullomodo cohaerent; deinde non Propertii ingenio conveniunt, qui, cum totus Graecus esset, numquam, ut puto, dixisset: *nescio quid majus nascitur Iliade;* neque illum, elegantia insignem, carmina tam rudia et incompta dictitasse concederem. Quae Heimreichius ita commode docuit, ut melius fieri non possit. Ejus verbis utar: „Omnino hoc loco (ait doctus vir) non poterat laudare Vergilium poeta, si quidem sanus ei erat sensus. Totius enim elegiae argumentum in eo versatur, ut contemnendos esse poetas epicos, solos imitandos esse poetas elegiacos demonstret; contempto igitur Homero, contemnendus quoque et negligendus erat Homerus Romanus. Denique nihil esse Vergilio cum Varrone, Catullo, Calvo, Gallo, Propertio totaque poesi elegiaca, non est quod moneam; nam haud parvam tum ortam fuisse controversiam inter novos poetas et cantores Euphorionis sat notum est. Qua de causa Propertius neque Vergilium ullo alio loco commemoravit neque Horatium; et ne Tibullum quidem, quem amicum fuisse scimus Horati et Vergili. Itaque . . . . prorsus est absurdum, laudato Vergilio, quasi nihil intersit inter Vergilium et poetas elegiacos, ita pergere: *Haec quoque perfecto ludebat Iasone Varro* etc. . . . . Ne multa: totus in Vergilium panegyricus interpolatus est . . . . Inter hos interpolatos versus septem leguntur in vocabula multarum syllabarum exeuntes. Dein miro quodam et paene absurdo modo a poeta hesternis posito corollis (v. 36 El. XXIX) ad Vergilium deflectit oratio. Denique haec tota laudatio ita sine ulla elegantia conflata est e locis quibusdam Vergilianis, ut interpolatorem ne satis quidem doctum fuisse appareat. Interpolator enim eclogas composuisse sibi persuasit Vergilium *umbrosi subter pineta Galaesi*. Attamen tunc temporis Vergilium Andibus apud Mantuam fuisse constat;

interpolatori in animo erant versus Vergiliani *Georg.* IV, 125—148, ubi vidisse se quondam in ripa Galaesi fertilem senis cujusdam hortum narrat . . . . Quo tempore in textum irrepserint versus interpolati, difficilius est excogitatu. Attamen quicumque scripsit Donati vitam Vergili, is jam legit hos versus. Ibi enim haec leguntur: Aeneidos vix dum coeptae tanta extitit fama, ut Sextus Propertius non dubitaverit sic praedicare: *Cedite Romani scriptores* etc. » Huc usque Heimreichius. Nuper Otto Ribbeckius in *Prolegomenis criticis ad Vergilium* rejiciendos versus uti spurios negavit, quia heroici stili gravitatem amatoriae lasciviae opponi vel propter Varronis Attacini exemplum adlatum (v. 3, XXIX) putat necessarium fuisse. Eruditum virum fugit Lynceum seu Ponticum epicum poema conscripsisse, quod Varro quoque fecit; Propertius Varronem memorat, qui ab Argonauticis ad Leucadiam suam deflexerat, ut amicus, Attacini exemplo, relicta Thebaide, fallacibus elegis ingenium expoliret: *inque tuos ignes, dure poeta, veni;* haec omnibus placent vel rudibus vel in amore peritis; *haec quoque perfecto ludebat Iasone Varro.*

Actia Virgilium custodis litora Phoebi,
  Caesaris et fortes dicere posse rates,
Qui nunc Aeneae Trojani suscitat arma,
  Jactaque Lavinis moenia litoribus.
Cedite Romani scriptores, cedite Graji: 5
  Nescio quid majus nascitur Iliade.
Tu canis umbrosi subter pineta Galaesi
  Thyrsin et attritis Daphnin arundinibus,
Utque decem possint corrumpere mala puellam,
  Missus et impressis haedus ab uberibus. 10
Felix, qui viles pomis mercaris amores!
  Huic licet ingratae Tityrus ipse canat.
Felix, intactum Corydon qui tentat Alexin
  Agricolae domini carpere delicias!
Quamvis ille sua lassus requiescat avena, 15
  Laudatur faciles inter Hamadryadas.
Tu canis Ascraei veteris praecepta poetae,
  Quo seges in campo, quo viret uva jugo.

Tale facis carmen, docta testudine quale
Cynthius impositis temperat articulis. 2
Nec minor his animis, aut, si minor, ore canorus
Anseris indocto carmine cessit olor.

1. *Actia Virgilium*, Gron. Subintellige *juvet*, quod legitur in v. 35 el. XXI: Codd. vero Neapolitanus, Mentelianus, Dresdensis, Hamburgensis, Heinsianus, Vo sianus, ed. Rheg. habent *Virgilio*. Casus dativus interpolationem arguit, na in Elegia Propertiana praecedebat *me juvet*. Carmen, a quo Pseudopropertia versus excerpti fuerunt, alterum verbum verisimiliter continebat. — Omn Codd. Propertiani dant *Virgilium*, non *Vergilium*, quam scripturam unice vera exhibent antiquissimus Maronis Codex Mediceo-Laurentianus et veteres inscription Eam jam commendavit Ang. Politianus in Misc. cap. 77 commendavitqu elapso saeculo, Muratorius, omnium eruditionum exemplar; recentiores erud Germani restituere; nos usui indulgemus inveterato.

3. Gron. *Trojanaque*.

7. Gron. *spineta Galaesi*. Eo tempore quo Bucolica conscripsit, Andibus er Virgilius ad Mincium, non in agro Tarentino ad amnem Galaesum.

9, 11. Virgilius *Ecl.* III: *puero silvestri ex arbore lecta Aurea ma decem misi*. Sed *viles amores* taedium parant. Koppiersius emendabat *vili pom*

12. Virg. *Ecl.* I.

13. Virg. *Ecl.* II.

21. Distichon videtur collocandum esse post versum 6.

22. Malus versus. Versificator cogitabat eodem tempore et Virgilianu *Videor . . . . argutos inter strepere anser olores* (Ecl. VIII), et Ansere illum Maronis obtrectatorem, cui Mantuanus se ipso indignum existimavit quid respondisset. Qui locum sanare conati sunt, oleum et operam perdiderunt litus ego non arabo.



# S. AURELII PROPERTII

# CYNTHIA.

## LIBER TERTIUS.

---

### ELEGIA I.

(Codd. Burm. 1, III; Lachm. 1, IV.)

Ad Tertium Cynthiae Librum accedens libenter cum Magno Patre Alighierio dicam

*Per correr miglior acqua alza le vele*
*La navicella dell' ingegno mio*
*Lasciando dietro se mar si crudele.*

Hic enim carmina non disjecta, non permixta (El. XX et XXI ad Secundum Codicum Librum pertinent) et versuum ordo raro perturbatus, expolitori imperant, ut audacioribus conjecturis abstineat, verecunde castiget.

Callimachi manes et Coi sacra Philetae,
  In vestrum, quaeso, me sinite ire nemus.
Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
  Itala per Grajos orgia ferre choros.
Dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro? 5
  Quove pede ingressi? quamve bibistis aquam?
Ah valeat, Phoebum quicumque moratur in armis!
  Exactus tenui pumice versus eat,
Quo me fama levat terra sublimis, et a me
  Nata coronatis Musa triumphat equis, 10
Et mecum in curru parvi vectantur Amores,
  Scriptorumque meas turba secuta rotas.

Quid frustra missis in me certatis habenis?
  Non datur ad Musas currere lata via.
Multi, Roma, tuas laudes annalibus addent, 15
  Qui finem imperii Bactra futura canent.
Sed, quod pace legas, opus hoc de monte Sororum
  Detulit intacta pagina nostra via.
Mollia, Pegasides, vestro date serta poetae,
  Non faciet capiti dura corona meo. 20
At mihi, quod vivo detraxerit invida turba,
  Post obitum duplici foenore reddet Honos.
Omnia post obitum fingit majora vetustas:
  Majus ab exsequiis nomen in ora venit.
Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces 25
  Fluminaque Haemonio cominus isse viro,
Idaeum Simoenta Jovis cum prole Scamandro,
  Hectora ter campos, ter maculasse rotas,
Deiphobumque, Helenumque, et Polydamantas in armis?
  Qualemcumque Parin vix sua nosset humus. 30
Exiguo sermone fores nunc, Ilion, et tu
  Troja, bis Oetaei numine capta dei.
Nec non ille tui casus memorator Homerus
  Posteritate suum crescere sensit opus.
Meque inter seros laudabit Roma nepotes: 35
  Illum post cineres auguror ipse diem.
Ne mea contempto lapis indicet ossa sepulcro,
  Provisum est Lycio vota probante deo.
Carminis interea nostri redeamus in orbem;
  Gaudeat ut solito tacta puella sono. 40
Orphea delinisse feras et concita dicunt
  Flumina Threicia detinuisse lyra:
Saxa Cithaeronis Thebas agitata per artem
  Sponte sua in muri membra coisse ferunt:

Quin etiam, Polypheme, fera Galatea sub Aetna 45
  Ad tua rorantes carmina flexit equos.
Miremur, nobis et Baccho et Apolline dextro,
  Turba puellarum si mea verba colit?
Quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis,
  Nec camera auratas inter eburna trabes, 50
Nec mea Phaeacas aequant pomaria silvas,
  Non operosa rigat Marcius arva liquor:
At Musae comites et carmina cara legenti
  Et defessa choris Calliopea meis.
Fortunata, meo si qua est celebrata libello! 55
  Carmina erunt formae tot monumenta tuae.
Nam neque Pyramidum sumptus ad sidera ducti
  Nec Jovis Elei coelum imitata domus,
Nec Mausolei dives fortuna sepulcri
  Mortis ab extrema conditione vacant. 60
Aut illis flamma, aut imber subducet honores,
  Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quaesitum nomen ab aevo
  Excidet: ingenio stat sine morte decus.

1. *Sacra* Critici interpretantur „poematum communem poetis cultum"; vel Philetae manes; vel sacrarium, templum Philetae manibus dicatum, etc. Ego vero: ipsam sacram artem poeticam Philetae, sacra musae Philetae: Virg. Georg II: *Me verum primum dulces ante omnia musae*, Quarum sacra *fero ingenti percussus amore.*

2. *Nemus.* Horatius *Carm.* III, 4: *et pios errare per lucos* etc.

4. Ferre choros Grajos per Itala orgia. Hor. *Carm.* III, 30: *Aeolium carmen ad Italos deduxisse modos.* Libero aeque ac Apollini et Musis orgia tribuuntur.

5. *Carmen tenuastis.* Elegi, heroicis carminibus comparati, graciles et tennes dicuntur. Sed hic *tenuare*, si recte sentio, habet interioris elegantiae vim. El. VII subseq: *Argumenta magis sunt Mentoris addita formae, At Myos exiguum flectit acanthus iter.*

10. *A me nata Musa;* non parens Elegiae Romanae fuit Propertius, sed

formae quam dederat Elegiae Romanae. Sic. v. 3: *primus ego sacerdos;* et vs. 18: *opus hoc de monte Sororum detulit* intacta *pagina nostra via.*

23. Neap. *famae post obitum fingit majora vetustas.*

27. Codd. *Iovis incunabula parvi.* Depravata scriptura. Neque Juppiter natus aut abditus fuit in Ida Phrygio, neque Iovis incunabula aliquid faciunt cum fluminibus in Achillem decertantibus. Post varios et infelices multorum conatus, quos recoquere non juvat, Gustavus Wolfius restituit: *Iovis cum prole Scamandro.* Scamander, inter deos Xanthus, Iovis erat filius: v. Homerum Iliad. XXI. Propertius designat duo flumina, quae Homerus cecinit *Haemonio cominus isse viro.*

29. Gron. *Polydamantes in armis.* Perrejus correxerat: *Polydamanta sub armis.*

38. Post hunc versum adest interstitium in Codd. Gron. et Neap. Vulpius alteram incipit elegiam post v. 40; idem facit Hertzbergius; nullo, ut puto, suffragante.

40. Gron. *ut solito;* Neap. *insolito;* Dresdensis et Hamburgensis *in solito.* Puccius *et solito.*

41. Codd. *detinuisse.* Heinsius proponebat *te duxisse;* Vulpius *te flexisse;* Ayrmannus *delinisse.*

42. Gron. *detimuisse.* Neap. et Mentelianus: *sustinuisse.* In superiore v. reposui *delinisse*, in hoc *detinuisse.*

52. Neap. *rigat-ante;* Gron. et caet. *rigat-antra;* quod non intelligo. Schraderus proposuit *arva*, sententia suffragante.

53. Gron. *grata legenti;* caeteri Codd. *cara.*

55. Gron. *si qua es.* Puccius *est*, a vulgg. receptum.

62. Gron. *ictu pondera.* Neap. et Mentelianus *ictu pondere.* Fonteinius conjecerat: *ipso pondere.* Audax et lyrica figura *annorum aut ictu pondera victa ruent* non est mutanda.

## ELEGIA II.

### PROPERTII SOMNIUM.

(Codd. et Burm. 2, III; Lachm. 2, IV.)

Visus eram molli recubans Heliconis in umbra,
  Bellerophontei qua fluit humor equi,
Reges, Alba, tuos et regum facta tuorum,
  Tantum operis nervis hiscere posse meis;
Parvaque tam magnis admoram fontibus ora, 5
  Unde pater sitiens Ennius ante bibit,

Et cecinit Curios fratres et Horatia pila,
  Regiaque Aemilia vecta tropaea rate,
Victricesque moras Fabii, pugnamque sinistram
  Cannensem, et versos ad pia vota deos, 10
Hannibalemque Lares Romana sede fugantes,
  Anseris et tutum voce fuisse Jovem:
Cum me Castalia speculans ex arbore Phoebus
  Sic ait, aurata nixus ad antra lyra:
„Quid tibi cum tali, demens, est flumine? quis te 15
  „Carminis heroi tangere jussit opus?
„Non hic ulla tibi speranda est fama, Properti:
  „Mollia sunt parvis prata terenda rotis,
„Ut tuus in scamno jactetur saepe libellus,
  „Quem legat exspectans sola puella virum. 20
„Cur tua praescriptis evecta est pagina gyris?
  „Non est ingenii cymba gravanda tui.
„Alter remus aquas, alter tibi radat arenas;
  „Tutus eris: medio maxima turba mari est."
Dixerat, et plectro sedem mihi monstrat eburno, 25
  Qua nova muscoso semita facta solo est.
Hic erat affixis viridis spelunca lapillis,
  Pendebantque cavis tympana pumicibus:
Orgia Mystarum, et Sileni patris imago
  Fictilis, et calami, Pan Tegeaee, tui, 30
Et Veneris dominae volucres, mea turba, columbae
  Tingunt Gorgoneo punica rostra lacu;
Diversaeque novem sortitae rura puellae
  Exercent teneras in sua dona manus.
Haec hederas legit in thyrsos, haec carmina nervis 35
  Aptat, at illa manu texit utraque rosam.
E quarum numero me contigit una dearum:
  (Ut reor a facie, Calliopea fuit.)

„ Contentus niveis semper vectabere cycnis,
„ Nec te fortis equi ducet ad arma sonus. 40
„ Nil tibi sit rauco praeconia classica cornu
„ Flare, nec Aonium cingere Marte nemus,
„ Aut quibus in campis Mariano praelia signo
„ Stent, et Teutonicas Roma refringat opes;
„ Barbarus aut Suevo perfusus sanguine Rhenus 45
„ Saucia moerenti corpora vectet aqua.
„ Quippe coronatos alienum ad limen amantes,
„ Nocturnaeque canes ebria signa fugae;
„ Ut per te clausas sciat excantare puellas,
„ Qui volet austeros arte ferire viros." 50
Talia Calliope lymphisque a fonte petitis
Ora Philetaea nostra rigavit aqua.

13. *Castalia ex arbore*, non ex una arbore lauro, sed e nemore Castalio.

17. Codd. *Non hic.* Volscus scripsit *non hinc*, in vulgg. receptum.

21. Codd. *sevecta est pagina.* Nemo praeter Nostrum, notat Lachmannus, isto vocabulo usus est. Livinejus et Scaliger, emendaverant: *praescriptos evecta est pagina gyros.* Sed *evehi gyros* pro *ex gyris*, extra gyros, non probatur. Fonteinius emendavit *deflectet.* Opinor veram scripturam esse: *praescriptis evecta est pagina gyris.*

26. *Est* in omnibus Codd. extat.

29. Codd. *Ergo Musarum.* Vitiata scriptura. *Ergo* nihil hic concludit, quocumque sensu accipiatur; *Musae* autem in v. 33 describuntur. Heinsius pro *Ergo* conjecit *Orgia;* Ungerus pro *Musarum* divinavit *Mystarum:* post *tympana* Bacchi Sacerdotes.

42. Codd. *flere;* Janus Dousa reposuit *flare.*

45. Gron. *aut sevo;* Neap. *aut saevo.* Puccius et Beroaldus *aut Suevo*, et ita quoque Vaticanus I et II, et Vossianus II.

49. *Excantare puellas* Codd. Puccius et Perrejus *exorare;* Livinejus *expugnare.* Broukhusius docuit locutionem *excantare* derivatam esse a frugibus ex agro in agrum trajectis magico carmine (V. Virgilium *Ecl.* 8, v. 99); *excantare* hoc loco est puellas clausas foras elicere, vel potius eripere ab alio amatore, qui as custodit diligenter.

# ELEGIA III.

## AD GALLUM.

(Codd. Burm., 10, Lachm. 11, I.)

Codd. elegiam inserunt Primo Libro. Verum *Cynthia me docuit* et *non nihil egit Amor* probant, eam conscriptam fuisse non primis amorum diebus, sed postquam amoris cruciamenta et fraudes fuerat expertus. Versus 27—38 in eleg. X Primi Libri irrepserant.

O jucunda quies, primo cum testis amori
  Adfueram vestris conscius in lacrimis!
O noctem meminisse mihi jucunda voluptas!
  O quotiens votis illa vocanda meis!
Cum te complexa morientem, Galle, puella 5
  Vidimus, et longa ducere verba mora.
Quamvis labentes premeret mihi somnus ocellos,
  Et mediis caelo Luna ruberet equis,
Non tamen a vestro potui secedere lusu;
  Tantus in alternis vocibus ardor erat. 10
Sed quoniam non es veritus concredere nobis,
  Accipe commissae munera laetitiae.
Non solum vestros didici reticere dolores;
  Est quiddam in nobis majus, amice, fide.
Possum ego diversos iterum conjungere amantes, 15
  Et dominae tardas possum aperire fores:
Et possum alterius curas sanare recentes,
  Nec levis in verbis est medicina meis.
Cynthia me docuit semper quaecumque petenda
  Quaeque cavenda forent; non nihil egit Amor. 20
Tu cave, ne tristi cupias pugnare puellae,
  Neve superba loqui, neve tacere diu;
Neu si quid petiit, ingrata fronte negaris;
  Neu tibi pro vano verba benigna cadant.

Irritata venit, quando contemnitur illa, 25
  Nec meminit justas ponere laesa minas.
Mendaces ludunt flatus in amore secundi:
  Si qua venit sero, magna ruina venit.
An quisquam in mediis persolvit vota procellis,
  Cum saepe in portu fracta carina natet? 30
Aut prius infecto deposcit praemia cursu,
  Septima quam metam triverit ante rota?
Quamvis te persaepe vocet, simulare memento:
  Invidiam quod habet, non solet esse diu.
Tu tamen interea, quamvis te diligat illa, 35
  In tacito cohibe gaudia clausa sinu.
Namque in amore suo semper sua maxima cuique
  Nescio quo pacto verba nocere solent.
At quo sis humilis magis et subjectus Amori,
  Hoc magis effectu saepe fruare bono. 40
Is poterit felix una remanere puella,
  Qui nunquam vacuo pectore liber erit.

1. *Quies*, nox. Sic in XV Lib. Prim. *Nam sive optatam mecum trahit illa quietem, Seu facili totum ducit amore diem.*

10. Pro *vocibus* Fonteinius conjecerat *motibus*, quibus respondent *complexa puella, amplexus vestros, vestro lusu, demens furor.*

11. Codd. *concedere.* Beroaldus reposuit *concredere.*

13. Codd. *dolores.* Volscus edidit *furores;* Janus Dousa et Heinsius *calores.*

17. *Curas recentes*, ideoque acriores. Livius XXI, Cap. 52: *recentis animi alter, eoque ferocior.* Paldamus locum Livianum protulit.

27. Lege cum optimis libris scriptis *flatus in amore secundi*, non *in amore secundo.*

33. Codd. *semel ire memento;* sententia absurda. Lachmannus emendaverat: *semel ire timeto;* Jacobius autem restituit: *simulare memento;* nam v. 37, 38: *maxima verba nocere solent.*

42. *Nunquam vacuo pectore;* qui semper amet, nunquam habeat pectus amore vacuum, et proinde se non liberum sentiat. Sensus est: poterit felix manere in servitute unius puellae hic unus, qui eam unice amet. Aculeum indicant

versus ad Gallum El. VII Lib. Sec. *Dum tibi deceptis augetur fama puellis, Certus et in nullo quaerere amore moram.*

## ELEGIA IV.

### AD PONTICUM.

(Codd. Burm. 9, Lachm. 10, I.)

Alteram ad eundem Ponticum in Secundum Libram esse collocandam probavi (XXII); haec illam sequitur, et in Tertio locum sibi vindicat. Propertius vaticinia sua vera fuisse confirmat.

Dicebam tibi venturos, irrisor, amores,
  Nec tibi perpetuo libera verba fore.
Ecce jaces, supplexque venis ad jura puellae,
  Et tibi nunc quovis imperat illa modo.
Non me Chaoniae vincant in amore columbae 5
  Dicere, quos juvenes quaeque puella domet.
Me dolor et lacrimae merito fecere peritum;
  Atque utinam posito dicar amore rudis!
Quid tibi nunc misero prodest grave dicere carmen
  Aut Amphioniae moenia flere lyrae? 10
Plus in amore valet Mimnermi versus Homero;
  Carmina mansuetus lenia quaerit Amor.
I, quaeso, et tristes istos compone libellos
  Et cane quod quaevis nosse puella velit.
Quid si non esset facilis tibi copia? nunc tu 15
  Insanus medio flumine quaeris aquam,
Necdum etiam palles, vero nec tangeris igni,
  Haec est venturi prima favilla mali.
Nullus amor cuiquam faciles ita praebuit alas,
  Ut non alterna presserit ille manu. 20
Tunc magis Armenias cupies accedere tigres,
  Et magis infernae vincula nosse rotae,
Quam pueri totiens arcum sentire medullis,
  Et nihil iratae posse negare tuae.

Nec te decipiat, quod sit satis illa parata; 25
Acrius illa subit, Pontice, si qua tua est.
Quippe ubi non liceat vacuos seducere ocellos
Nec vigilare alio nomine, cedat Amor!
Qui non ante patet, donec manus attigit ossa:
Quisquis es, assiduas ah fuge blanditias! 30
Illis et silices et possunt cedere quercus,
Nedum tu possis, spiritus ipse levis.
Quare, etsi pudor est, quam primum errata fatere:
Dicere, quo pereas, saepe in amore levat.

4. Codd. *imperat empta.* Interpretes: ancilla, puella de catasta empta nunc tibi imperat. Mendum suspicatus est Fonteinius, reposuitque *imperat illa.* Neque versus 15, 25, 32 *emptam* satis tueri videntur.

13. *Compone libellos*, repone, claude. Utraque Aldina, Juntina et Gryphianae edd. *depone.*

15, 16. Distichum satis obscurum ancipitisque significationis interpretor: At si illa difficilis, dura tibi esset? Nunc tibi omnia laeta et prospera contingunt; insane! in medio es flumine, primas amoris blanditias experiris; nondum palles, etc.

19. In Codd. distichon subsequitur v. 24.

19, 20. Interpretor: Cupido nunquam amatori ita praebuit faciles alas suas, numquam tam ad amatorem blandus advolavit, ut postea, mutata vice, non *premat*, adversus fiat. Tacitus *Hist* I Cap. 17: *Invito semel principe, seu bene seu male facta premunt.* Alii *presserit* ad *alas* referunt hos sensu: quem ad modum Amor cum se facilem praebet, advolaturus expandit alas, sic cum inimicus fit, eas contrahit et complicat.

24. *Iratae*, id est imperiosae, quae iracunde *imperat.* Italice *sdegnosa.* Ancilla de catasta empta ita tolleret supercilia?

27. Gron. *deducere*, Mentelianus *subducere.*

28. Vigilare *alio nomine* h. e. aliis curis, aliis negotiis vacare. *Cedat Amor*, valeat, abeat.

30. Codd. *aufuge blanditias*, quod Latinitas respuit. In Cod. Commeliniano *effuge.* Boltius reposuit *ah fuge.*

32. Gron. et Neap. *spiritus iste.* Politianus correxit *spiritus ipse*, aliis Codd. faventibus.

33. Codd. *si pudor est.* Cum Lachmanno scripsi *Etsi pudor est.*

# ELEGIA V.

## AD LYGDAMUM.

(Codd. 5, Burm. 4, III; Lachm. 5, IV.)

Dic mihi de nostra, quae sentis, vera puella:
  Sic tibi sint dominae, Lygdame, demta juga.
Num me laetitia tumefactum fallis inani,
  Haec referens, quae me credere velle putas?
Nunc mihi si qua tenes, ab origine dicere prima 5
  Incipe; suspensis auribus ista bibam.
Siccine eam incomptis vidisti flere capillis?
  Illius ex oculis multa cadebat aqua?
Nec speculum strato vidisti, Lygdame, lecto?
  Ornabat niveas nullane gemma manus? 10
Ac moestam teneris vestem pendere lacertis
  Scriniaque ad lecti clausa jacere pedes?
Tristis erat domus et tristes sua pensa ministrae
  Carpebant, medio nebat et ipsa loco?
Humidaque impressa siccabat lumina lana? 15
  Retulit et querulo jurgia nostra sono?
„Haec te teste mihi promissa est, Lygdame, merces?
  „Est poenae servo rumpere teste fidem.
„Ille potest nullo miseram me linquere facto?
  „Atque aliam, nequam! dicere habere domi? 20
„Gaudet me vacuo solam tabescere lecto?
  „Si placet, insultet, Lygdame, morte mea.
„Non me moribus illa, sed herbis improba vicit:
  „Staminea rhombi ducitur ille rota.
„Illum turgentis ranae portenta rubetae, 25
  „Et lecta exsectis unguibus ossa trahunt,
„Et strigis inventae per busta jacentia plumae,
  „Cinctaque funesto lanea vitta toro.

„Si non vana canunt mea, Lygdame, somnia, testor:
„Poena erit ante meos sera, sed ampla, pedes; 30
„Putris et in vacuo texetur aranea lecto,
„Noctibus illorum dormiet ipsa Venus."
Quae tibi si veris animis est questa puella,
Hac eadem rursus, Lygdame, curre via,
Et mea cum multis lacrimis mandata reporta: 35
Iram, non fraudes, esse in amore meo.
Me quoque consimili impositum torquerier igni
Jurabo, et bis sex integer esse dies.
Quod mihi si e tanto felix concordia bello
Exstiterit, per me, Lygdame, liber eris. 40

3. Gron. *Dum me;* Neap. *Non me;* Puccius *Num.*

4. Post h. v. Codd. habent:

Omnis enim debet sine vano esse relator,
Majoremque timens servus habere fidem.

Volscus corrigebat *sine vanis*, Muretus *majoremque metu.* Distichum spurium rejicio cum Lachmanno, qui sic disputat: „Cum prioribus per particulam *enim* male conjungitur; tum oratio minus culta et elegans; tota sententia vero non otiosa solum est, quaeque de domina sua aliquid scire festinantem non deceat; sed et aperte falsa, cum neque omnes nuntios vera referre oporteat, nec Propertius a Cynthiae servo, ut sibi fidus sit, postulare possit, nec Lygdamo quicquam metuendum sit, ne, si quid agat Cynthia, narret."

7. Codd. *sicut eam.* Muretus reposuit *Siccine.*

10. Gron. *nullave;* Neap. *nullane.*

11. Gron. *at maestam;* Neap. *ac maestam.*

17. Sunt verba Cynthiae a Lygdamo relata. Ad pleniorem carminis intelligentiam ponendum est, Cynthiam, quum duodecim abhinc diebus discidium inter eam et Propertium esset, jam semel Lygdamum huic misisse; cujus superba responsa audiens exclamaverat: hoc est praemium amoris mei? haec ille dixit? etc. Nunc autem servus rursus Propertium adit, querelas dominae narrat; amator eum interrogationibus, blanditiis et promissis fatigat, denique legatum de pace mittit.

20. Locus varie sollicitatus. Codd. omnes *aequalem nulla dicere habere domo;* Palatinus *domi;* Scaliger corrigebat *ac qualem* pro *aequalem;* Broukhusius *et qualem.* Interpretes vero: potest dicere se habere domi amicam, qualem in nulla domo alius habere possit? Vossius et Hertzbergius emendant *atque aliam;*

id est: potest dicere me rivalem habere in nulla domo? Prima conjectura non satisfacit; altera pugnat cum sententiis subsequentibus, ubi de rivali loquitur. Ulcus latet in duabus vocibus *aequalem nullam*. Reposui *atque aliam, nequam!* Perfidus ille dicere potest se aliam domi habere?

27. *Busta jacentia*, collapsa, eversa, diruta.

28. Codd. *lanea vitta viro* Heinsius restituit *toro*. Ita etiam in Leidensibus I et II, in tribus Vossianis et aliis.

29. Gron. *Quod mihi si tanto;* Neap. *Quod mihi et tanto;* unde Lachmannus veram, ut puto, concinnavit emendationem: *Quod mihi si e tanto.*

## ELEGIA VI.

### AD CYNTHIAM DE LYCINNA.

(Codd. 15, Burm. 13, III; Lachm. 14, IV.)

Versus 11—14 Codd. collocant in fine carminis. Vulpius et Burmannus monuerant 13 et 14 ponendos esse ante 15: *Testis erit Dirce;* sed contra observatum fuit v. 11 et 12 *Fabula nulla tuas* sine ulla connexione post narratam Antiopae historiam adjici. Et recte; scilicet non unum tantum distichon, sed duo postrema sunt revocanda post quintum. — Nonne putares Cynthiam, quum in praecedenti elegia de rivali quereretur, ad Lycinnam respexisse?

Sic ego non ullos norim in amore tumultus,
  Nec veniat sine te nox vigilanda mihi!
Ut mihi praetextae pudor est velatus amicus,
  Et data libertas noscere Amoris iter,
Illa rudes animos per noctes conscia primas 5
  Imbuit heu nullis capta Lycinna datis:
Tertius haud multo minus est cum ducitur annus,
  Vix memini nobis verba coisse decem.
Cuncta tuus sepelivit amor, nec femina post te
  Ulla dedit collo dulcia vincla meo. 10
Fabula nulla tuas de nobis concitet aures:
  Te solam et lignis funeris ustus amem.

At tu non meritam parce vexare Lycinnam:
  Nescit vestra ruens ira referre pedem.
Testis erit Dirce non vero crimine saeva 15
  Nycteos Antiopen accubuisse Lyco.
Ah quotiens pulchros ussit regina capillos,
  Molliaque immites fixit in ora manus!
Ah quotiens famulam pensis oneravit iniquis,
  Et caput in dura ponere jussit humo! 20
Saepe illam immundis passa est habitare tenebris,
  Vilem jejunae saepe negavit aquam.
Juppiter, Antiopae nusquam succurris habenti
  Tot mala? corrumpit dura catena manus.
Si deus es, tibi turpe tuam servare puellam: 25
  Invocet Antiope quem nisi vincta Iovem?
Sola tamen, quaecumque aderant in corpore vires,
  Regales manicas rupit utraque manu.
Inde Cythaeronis timido pede currit in arces.
  Nox erat et sparso triste cubile gelu. 30
Saepe vago Asopi sonitu permota fluentis
  Credebat dominae pone venire pedes.
Et durum Zethum et lacrimis Amphiona mollem
  Experta est stabulis mater abacta suis.
At — veluti magnos cum ponunt aequora motus, 35
  Eurus in adversos desinit ire Notos
Litore et in tacito sonus rarescit arenae —
  Ut cadit inflexo lassa puella genu,
Sera subit pietas: natis est cognitus error.
  Digne Iovis natos qui tueare senex, 40
Tu reddis pueris matrem, puerique trahendam
  Vinxerunt Dircen sub trucis ora bovis.
Antiope, cognosce Iovem: tibi gloria Dirce
  Ducitur, in multis mortem habitura locis.

Prata cruentantur Zethi, victorque canebat 45
Paeana Amphion rupe, Aracynthe, tua.

3. Gron. *amictu;* Neap. *amicus* cum Hamburgensi, Dresdensi et Menteliano. Qui *amictu* legunt (et cuncti legunt) interpretantur: postquam exui pudorem una cum praetexta. Et quum non omnes videant quomodo *pudorem velatum amictu praetextae* significare possit *pudorem abjectum una cum praetexta*, ad conjecturas confugiunt, *elatus*, *ablatus*, *exsinuatus* proponentes. Equidem *velatus* pulcherrime dictum puto, quod sententiam exprimit, dum verecunde velat. A Neapolitano et aliis recipio *amicus*. Pudor nempe amat praetextam, praetextae favet. Ovidius *Fast* III, 778: *vestis quoque libera per te Sumitur, et vitae liberioris iter.*

15. Codd. *tam vero crimine.* Legendum censeo *non vero crimine.*

34—39. Hos versus Groninganus ita exhibet:

*Experta est stabulis mater abacta suis.*
*Ac veluti magnos cum ponunt aequora fluctus,*
*Eurus in adversos desinit ire notos,*
*Litore si tacito sonus rarescit arenae;*
*Sic cadit inflexo lassa puella genu.*
*Sera tamen pietas; natis est cognitus error.*

Locus agitatissimus neque adhuc sanatus. Sed ante omnia paucis, verum paulo accuratius, Antiopae fabulam expedit narrare. Antiope, Nyctei filia, a Iove compressa fuit. Fugiens patris iram, qui hominem, non Deum criminis auctorem habebat, in Cythaeronem se recepit, ubi peperit geminos pueros. „Casu eodem loco (ait Hyginus) quo illa pervenerat, Epaphus Sicyonius stabat. Is mulierem advectam domum matrimonio sibi junxit." Nycteus aegre id ferens Lyco commisit, ut Epaphum interficeret. Lycus rem patravit, Antiopenque in vinculis conjecit. At Dirce, uxor ejus, in suspicionem incidit virum suum clanculum cum captiva consuescere; quam ob rem saevissime eam excruciabat. Antiope Iovis voluntate vincula fregit, iterumque ad Cythaeronem confugit. Gemini, quos ediderat et reliquerat in monte, a pastore reperti educatique fuerant, Zethus et Amphio nominati: „Devenit ad filios (prosequitur Hyginus), ex quibus Zethus, existimans fugitivam, non recepit. In eundem locum Dirce per bacchationem Liberi illuc delata est: ibi Antiopam repertam ad mortem extrahebat. Sed ab educatore pastore adolescentes certiores facti, eam esse matrem suam, celeriter consecuti matrem, eripuerunt. Dircen ad taurum crinibus religatam necant." — Propertius primam historiae partem praetermittit; describit Antiopen in vinclis a Dirce acerbe tractatam, deinde in Cythaeronem effugientem. Diu opinabar lacunam esse post versum 34, alteramque post 38, nullum vel nimis

abruptum nexum perspiciens inter comparationem maris quod sedatur et puellam genu flexo cadentem. In qua sententia confirmabar v. 39, ubi *sera pietas* pendet, et verbum desideratur. Diligentius tamen locum perscrutanti persuasum mihi fuit, scripturam Codicum depravatam esse, sed nihil excidisse. In v. 37 pro *si tacito*, Neap. dat *sic tacito*, Mentelianus *sit tacito*, Puccius *quum tacito*. Correxi *et in tacito*, orationis junctura postulante. V. 38 Gron. et Neap. *Sic cadit inflexo;* Dresdensis *Sic cadit infelix;* Heinsianus *Hic cadit;* Hamburgensis *Si cadit;* Aschewianus et Palatinus *Ut cadit inflexo;* quod recepi. Verbum quod necessarium duco, v. 39 interposui scribens: *subit* pro laxo et languido *tamen*. Denique v. 35 emendavi *At* pro *Ac*. Post haec oratio recte fluit: ut mare cum ponit fluctus etc., cum Antiope genu flexo cecidit, sera subit animos pietas; filiis cognitus est error.

45. Gron. et Neap. *prata Zethi*. Cum de geminis loquitur, alteruter nominatur et pro duobus accipitur. Sic *Regnave prima Remi*. El. VII Sec. Lib. *Potaque Pollucis lympha salubris equo*, quum et Pollux et Castor aquam bibissent. Cf. Ungeri *Analecta Propertiana* pag. 64.

## ELEGIA VII.

### DE MORTE PAETI.

(Codd. et Burm. 7, III; Lachman 6, IV.)

Versuum ordinem in Codd. turbatum Scaliger restituere conatus est; sed docti viri iterum stadium currendum esse pro certo habuere.

Ergo sollicitae tu causa, pecunia, vitae es:
  Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitiis hominum crudelia pabula praebes;
  Semina curarum de capite orta tuo.
Tu Paetum ad Pharios tendentem lintea portus 5
  Obruis insano terque quaterque mari.
Nam dum te sequitur, primo miser excidit aevo,
  Et nova longinquis piscibus esca natat.
Et mater non justa piae dare debita terrae,
  Nec pote cognatos inter humare rogos; 10

Sed tua nunc volucres adstant super ossa marinae,
  Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare est.
Ite, rates curvas et leti texite causas:
  Ista per humanas mors venit acta manus.
Terra parum fuerat: fatis adjecimus undas: 15
  Naturae miseras auximus arte vias.
Ancora te teneat, quem non tenuere Penates?
  Quid meritum dicas, cui sua terra parum est?
Ventorum est quodcumque paras: haud ulla carina
  Consenuit: fallit portus et ipse fidem! 20
Paete, quid aetatem numeras? quid cara natanti
  Mater in ore tibi est? non habet unda deos!
Fortuna insidians pontum substravit avaris:
  Ut tibi succedat, vix semel esse potest.
Sunt Agamemnonias testantia litora curas, 25
  Quae notat Argynni poena Athamantiadae.
Palantum socium jacturam flevit Ulixes,
  In mare cui soliti non valuere doli.
Saxa triumphales fregere Capharea puppes,
  Naufraga cum vasto Graecia tracta salo est. 30
Non tulit hic Paetus stridorem audire procellae
  Et duro teneras laedere fune manus;
Sed Thyio in thalamo aut Oricia terebintho
  Effulto pluma versicolore caput,
Huic fluctus vivos radicitus abstulit ungues, 35
  Et miserum invisae traxit hiatus aquae.
Quod si contentus patrio bove verteret agros,
  Verbaque duxisset pondus habere mea,
Viveret ante suos dulcis conviva Penates,
  Pauper, at in terra, nil ubi flare potest. 40
Nam tibi nocturnis ad saxa ligata procellis
  Omnia detrito vincula fune cadunt.

Flens tamen extremis dedit haec mandata querelis,
  Cum moribunda niger clauderet ora liquor:
„Di maris Aegaei quos sunt penes aequora, venti, 45
  „Et quaecumque meum degravat unda caput,
„Quo rapitis miseros tenerae lanuginis annos?
  „Attulimus longas in freta vestra manus.
„Ah miser! Alcyonum scopulis adfligar acutis:
  „In me caeruleo fuscina sumpta deo est. 50
„At saltem Italiae regionibus advehat aestus:
  „Hoc de me sat erit si modo matris erit."
Subtrahit haec fantem torta vertigine fluctus;
  Ultimaque haec Paeto voxque diesque fuit.
Infelix Aquilo, raptae timor Orithyiae, 55
  Quae spolia ex illo tanta fuere tibi?
Aut quidnam fracta gaudes, Neptune, carina?
  Portabat sanctos alveus iste viros.
O centum aequoreae Nereo genitore puellae,
  Et tu, materno tacta dolore Theti, 60
Vos decuit lasso supponere brachia mento:
  Non poterat vestras ille gravare manus.
Reddite corpus humo! Posita est in gurgite vita:
  Paetum sponte tua, vilis arena, tegas!
Et quotiens Paeti transibit nauta sepulcrum, 65
  Dicet: „et audaci tu timor esse potes."
At tu, saeve Aquilo, nunquam mea vela videbis:
  Ante fores dominae condar oportet iners.

13. Versus emendationem non poscit: texite curvas rates et causas leti.

16. Codd. *fortunae;* Broukhusius restituit *naturae.*

20. Ex hoc disticho et v. 21, 24 conjectura oritur Paeti navem, jam anchora jacta in portu quodam Aegei, avulsam fuisse, in mare a ventibus raptam, inde submersam.

23. Codd. *natura;* Broukhusius: *fortuna.* Librarii sedem duarum vocum (Vid. v. 24) commutaverunt.

26. Codd. *quae notat Argynni poena minantis aquae.* Cimmeriae tenebrae, in quibus vel lynceis oculis nihil discernebatur. Schneidewinus divinavit: *poena Athamantiadae.* Argynnus Lyconis filius, nepos Athamantis. — Dein Codd. habent:

Hoc juvene amisso classem non solvit Atrides,
Pro qua mactata est Iphigenia mora.

Adulterini et rancidi versus. Omnibus enim Agamemnonis et Iphigeniae notissima lacrimabilis historia; unde tamen quaesita sit fabula de Argynni morte quae Atriden a profectione retineat, ignoratur. Distichum nemo interpolatum negat, omnes tamen in contextu recipiunt.

31. Gron. *non tulit hic Paetus;* Neap. *non tulit haec.*

33, 34. Gron. v. 31: *chio calamo;* Neap. *chio thalamo;* uterque v. 40 *et fultum;* Puccius pro *chio thalamo* corrigebat *Thiae;* Scaliger *effulto* pro *Et fultum.* Recepi: *Sed Thyio — effulto.* — Verborum constructio haec est: Paetus non *tulit*, non potuit audire stridorem procellae et laedere manus duro fune. Sed *huic effulto* caput (solito reclinare caput) supra molle pulvillum in lecto facto ex ligno Thyio aut ex terebintho Oricia (aliud lignum), huic vivo fluctus abstulit ungues etc.

36. Locus vehementer controversus. Gron. et Neap. *et miser invisam traxit hiatus aquam.* Alii: *et niger invitam.* Lachmannus conjecit: *et miserum invita traxit hiatus aqua;* Passeratius: *et miseri vitam traxit hiatus aquae.* Cum Heinsio scribo: *et miserum invisae traxit hiatus aquae.* In Codd. sequitur distichon:

Hunc parvo ferri vidit nox improba ligno:
Paetus ut occideret tot coiëre mala.

Propertius Paeti navem nec parvam nec magnam dixerat; quod si parva fuisset et impar itineri, poeta non fluctus et navigationem insectari debuisset, verum imperitiam magistri. De navium exiguitate in contrarium canebat Ovidius, *Trist.* III, 4: *Effugit hibernas demissa antenna procellas, Latuque plus parvis vela timoris habent.* Adde, verba minoris versus *tot coiëre mala* nullam habere cohaerentiam cum iis quae praecedunt et subsequuntur. Versus subditicios omisi.

40. Codd. *nil ubi flere potest.* Cum Jacobio reposui *flare potest.* De ventis agitur.

48. *Longas manus.* Scaliger, Broukhusius, Casaubonus et Burmannus interpretantur integras, non mutilatas, quia perjuris membra aliqua deformabantur. Sensus esset: innocens, insons sum. Contra Fruterius, cui favebant Lipsius et Struchtmeyerus, exponebat formosas, juveniles, teretes, *manus longas.* Hoc sensu usurpaverunt Catullus et ipse Propertius: *Fulva coma est longaeque*

*manus.* Lib. Sec. El. VIII. Vulpius autem manus longas explicat: supplices atque ad Deos ante navigationem susceptam tentas. Fruterii interpretationem probo.

51. Codd. *evehat aestus.* Scaliger emendavit *advehat.*

63. Gron. *positaque in gurgite.* Neap. *posita est in gurgite.*

## ELEGIA VIII.

### IRAE AMORIS SIGNA.

(Codd. 8, Burm. 6, III; Lachm. 7, IV.)

Dulcis ad hesternas fuerat mihi rixa lucernas,
  Vocis et insanae tot maledicta tuae.
Cur furibunda mero mensam propellis, et in me
  Projicis insana cymbia plena manu?
Nimirum veri dant haec mihi signa caloris: 5
  Nam sine amore gravi femina nulla dolet.
Tu vero nostros audax invade capillos,
  Et mea formosis uuguibus ora nota;
Tu minitare oculos subjecta exurere flamma;
  Fac mea rescisso pectora nuda sinu. 10
Quae mulier rabida jactat convicia lingua,
  Et Veneris magnae volvitur ante pedes;
Custodum gregibus quae non se stipat euntem,
  Sed sequitur medias Maenas ut icta vias,
Seu timidam crebro dementia somnia terrent, 15
  Seu miseram in tabula picta puella movet:
His ego tormentis animi sum verus aruspex;
  Has didici certo saepe in amore notas.
Non est certa fides, quam non injuria versat;
  Hostibus eveniat lenta puella meis! 20
Immorso aequales videant mea vulnera collo,
  Me doceat livor mecum habuisse meam.
Aut in amore dolere volo, aut audire dolentem;
  Sive meas lacrimas, sive videre tuas.

Odi ego, quos nunquam pungunt suspiria somnos; 25
Semper in irata pallidus esse velim.
Dulcior ignis erat Paridi, cum Graja per arma
Tyndaridi poterat gaudia ferre suae.
Dum vincunt Danai, dum restat barbarus Hector,
Ille Helenae in gremio maxima bella gerit. 30
Aut tecum, aut pro te mihi cum rivalibus arma
Semper erunt; in te pax mihi nulla placet.
Gaude, quod nulla est aeque formosa: doleres,
Si qua foret; nunc sis jure superba, licet.
At tibi, qui nostro nexisti retia lecto, 35
Sit socer aeternum, nec sine matre domus!
Cui nunc si qua data est furandae copia noctis,
Offensa illa mihi, non tibi amica dedit.

1. *Hesternas* optimi Codd. Vulgg. *extremas.*

3. Codd. *Cur.* Objicit poeta: Cur haec facis? Capillos meos conscinde; si tibi libet, vultum unguibus lania: haec sunt mihi veri amoris signa.

5. Codd. *veri dantur.* Censeo legendum esse *dant haec.* Post v. 8 Codd. hoc distichum collocant.

11. Codd. *mulier gravida.* Scaliger emendavit.

13. Codd. *custodum gregibus circa se stipat;* quod neque iracundiam neque furorem indicat, sed potius luxum vel timorem vel industriam artificiosam. Sententia omni labe carebit, si leges: *quae non se stipat.*

14. Codd. *Seu.* Cum Fonteinio repono *Sed.*

18. Gron. *Has certo didici;* Neap. *didici certo.* Alii: *didici certas notas.*

24. Hic Codd. inserunt

Tecta superciliis si quando verba remittis,
Aut tua cum digitis scripta silenda notas.

Non inelegantes versiculi; qui tamen cum hoc carmine non coeunt, quosque interpolator ab Ovidio mutuatus est, *Am.* 1, 4:

*Verba superciliis sine voce loquentia dicam:*
*Verba leges digitis, verba notata mero.*

36. Codd. *sit socer aeternum nec sine matre domus.* Ut sententia qualiscumque ex insolito voto elici possit, credendum foret, rivalem, quem Propertius proscidit, et socerum et matrem habuisse divites, rigidos et astrictos, quorum hereditatem

illo infinite concupisceret. Sed Perrejus notavit in Cod. suo legi tantum: *sit sacer externum*, additque: « reliqua acciso margine perierunt. » Ergo, deperdito Propertii versu, hic suppositus fuit. Cod. Vaticanus I pro *matre* praebet *Marte*. Beroaldus conjecerat: *Sis sacer aeternum, nec sine Marte domus;* nunquam rixis careat. Santenius: *Sit sacer aeternum, nec sine Marte torus*, sit toro Vulcani similis. Burmannus: *Sit sacer aeternum, sit sine patre torus*, habeas filios spurios.

## ELEGIA IX.

### AD MAECENATEM.

(Codd. 9, Burm. 7, III; Lachm. 8, IV.)

In hanc Codd. conferunt quinque disticha ad Librum Secundum pertinentia. V. El. XXV.

Maecenas, eques Etrusco de sanguine regum,
  Intra fortunam qui cupis esse tuam,
Quid me scribendi tam vastum mittis in aequor?
  Non sunt apta mea grandia vela rati.
Turpe est, quod nequeas, capiti committere pondus 5
  Et pressum inflexo mox dare terga genu.
Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
  Fama nec ex aequo ducitur una jugo.
Gloria Lysippo est animosa effingere signa,
  Exactis Calamis se mihi jactat equis; 10
In Veneris tabula summam sibi poscit Apelles,
  Parrhasius parva vindicat arte locum;
Argumenta magis sunt Mentoris addita formae,
  At Myos exiguum flectit acanthus iter.
Est quibus Eleae concurrit palma quadrigae, 15
  Est quibus in celeres gloria nata pedes;
Hic satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis:
  Naturae sequitur semina quisque suae.

At tua, Maecenas, vitae praecepta recepi,
  Cogor et exemplis me moderare tuis. 20
Cum tibi Romano dominas in honore secures
  Et liceat medio ponere jura foro;
Vel tibi Medorum pugnaces ire per arcus,
  Atque onerare tuam fixa per arma domum,
Et tibi ad effectum vires det Caesar, et omni 25
  Tempore tam faciles insinuentur opes;
Parcis et in tenues humilem te colligis umbras,
  Velorum plenos subtrahis ipse sinus.
Crede mihi, magnos aequabunt ista Camillos
  Judicia, et venies tu quoque in ora virum, 30
Caesaris et fama vestigia juncta tenebis:
  Maecenatis erunt vera tropaea fides.
Non ego velifera tumidum mare findo carina:
  Tuta sub exiguo flumine nostra mora est.
Non flebo in cineres arcem sidisse paternos 35
  Cadmi, nec septem praelia clade pari,
Nec referam Scaeas et Pergama Apollinis arces,
  Et Danaum decimo vere redisse rates,
Moenia cum Grajo Neptunia pressit aratro
  Victor Palladiae ligneus artis equus. 40
Inter Callimachi sat erit placuisse libellos,
  Et cecinisse modis, Eurypylita, tuis.
Haec pueros urant, haec urant scripta puellas,
  Meque deum clament, et mihi sacra ferant.
Hoc mihi, Maecenas, laudis concedis, et a te est, 45
  Quod ferar in partes ipse fuisse tuas.

8. Codd. *fama nec ex aequo ducitur ulla jugo.* Lachmannus *aequum jugum* accipit pro monte facilis ascensus, et exponit: fama acquiritur ab eo tantum qui artis suae fastigium attigit. Major tamen versus aliam sententiam requirit, ideoque Lipsius e Codice suo correxit *una* pro *ulla*. Hic *aequus* significat parem,

similem, aeque magnum. Ita Virg. *Aen.* II, v. 725: *sequiturque patrem non passibus aequis.*

11. Gron. *sibi ponit;* Neap. *sibi poscit.*

12. Primum locum tenet, interpretor cum Jacobio.

13. Argumenta magna, majora (i. e. caelaturae fabulas et historias repraesentantes) addita sunt formae (vasis, scyphis) Mentoris; contra Mys caelat vasa exigui et flexi acanthi foliis tantum circumdata. *Magis* pro *majora*, adverbium pro adjectivo, more graecorum, adnotat Marklandus.

14. Codd. addunt:

Phidiacus signo se Juppiter ornat eburno:
Praxitelen propria vindicat arte lapis.

Distichum nullis musis confictum et spurium jam taxavit Lachmannus. Si intelligis: Phidiacus Juppiter ornat se statuae Phidiacae instar, ineptam habes tautologiam; si vero: Juppiter ipse amat formam induere statuae Olympicae, qua arte hanc sententiam elicies e majore versu? Ad minorem versum quod spectat, interpolator eum inculte depromsit e Propertiano proxime superiore: *Parrhasius parva vindicat arte locum.*

20. Codd. *te superare.* Broukhusius interpretabatur *te vincere;* quod et Maecenatem et nos offenderet. Burmannus: convincere, coarguere; sed corruptum suspicabatur verbum. Reposui *me moderare.* Eodem sensu locutus est Plautus *Mil* 2, 2: *ego voci moderabo tuae;* v. Forcellinii Lexicon.

23. Codd. *per hostes.* Vitiose. Burmannus correxit *per hastas;* sed Parthi arcubus et fallacia fugarum clari fuerunt, non hastis. Lachmannus: *astus*, fugas astutas. Scripsi *arcus*, cum Iano Helvetio.

28. Codd. *subtrahis:* Heinsius malebat *contrahis;* quod firmatur ab Ovidio *Trist.* III, 4: *Propositique memor contrahe vela tui;* et ab Horatio, Carm. II, 10, 23: *Contrahes vento nimium secundo Turgida vela.*

34. Ita Gron. et Neap. Hamburgensis, Vaticani, Leidenses, Vossiani etc. *Tota sub exiguo flumine nostra mora est.*

37. Broukhusius et Burmannus *Apollinis artes.*

42. Codd omnes *dure poeta.* Beroaldus correxerat *Coe;* ita quoque Puccius. Sed non adparet, quomodo calami scribarum commutare potuerint notum Philetam *Coum* in *durum.* Valckenarius, Scaliger et Bentlejus probabant *pure*, ad Callimachum referentes. At *pure*, tritum epitheton, neque in hunc locum convenit, neque minorem versum iterum ad eumdem poetam respicere concedendum est. Petrus Scriverius emendavit *Dore*, de Dorico Phileta intelligens (Doricus, Doriensis, Dorius, *Dorus*). Objicitur tamen non immerito, *Dorum* poetam quemvis, et ipsum Callimachum dici posse. Hinc Robertus Ungerus docte conjecit *Eurypylita* vel *Eurypylida.* Eurypylus Coorum rex fuit, urbemque condidit

in insula suo cognomento appellatam. In hac Philetas natus fuisse e Strabone colligitur, eique cives statuam dedicavisse. Nomen insolens et abstrusum librariorum intellectum fugit, qui scripserunt *dure poeta* similitudine quadam literarum ducti, deceptique illo versu (XXIX, Lib. Sec.): *Inque tuos ignes, dure poeta, veni.* Doctam, Propertiique ingenio consentaneam conjecturam in contextum recepi.

46. Interpretor: te imitatum fuisse.

## ELEGIA X.

### DE NATALI AMICAE.

(Codd. 10, Burm. 8, III; Lachm. 9, IV.)

Mirabar, quidnam misissent mane Camenae
  Ante meum stantes, sole rubente, torum.
Natalis nostrae signum misere puellae,
  Et manibus faustos ter crepuere sonos.
Transeat hic sine nube dies, stent aëre venti, 5
  Ponat et in sicco molliter unda minas.
Adspiciam nullos hodierna luce dolentes,
  Et Niobae lacrimas supprimat ipse lapis.
Alcyonum positis requiescant ora querelis,
  Increpet absumptum nec sua mater Ityn. 10
Tuque, o cara mihi, felicibus edita pennis,
  Surge, et poscentes justa precare deos.
Ac primum pura somnum tibi discute lympha,
  Et nitidas presso pollice finge comas.
Dein, qua pridem oculos cepisti veste Properti, 15
  Indue, nec vacuum flore relinque caput;
Et pete, qua polles, ut sit tibi forma perennis,
  Inque meum semper stent tua regna caput.
Inde coronatas ubi ture piaveris aras,
  Luxerit et tota flamma secunda domo, 20

Sit mensae ratio, noxque inter pocula currat,
  Et crocino naris myrrheus ungat onyx.
Tibia nocturnis succumbat rauca choreis,
  Et sint nequitiae libera verba tuae,
Dulciaque ingratos adimant convicia somnos; 2
  Publica vicinae perstrepat aura viae.
Sit sors et nobis talorum interprete jactu,
  Quem gravibus pennis verberet ille Puer.
Cum fuerit multis exacta trientibus hora,
  Noctis et instituet sacra ministra Venus, 3
Annua solvamus thalamo solennia nostro,
  Natalisque tui sic peragamus iter.

15. Codd. *qua primum;* Broukhusius correxit *qua pridem*, quia *primu* legitur in disticho superiore.

23. *Succumbat;* canendo lassa fiat, explicat Burmannus.

25. Codd. *adimant convivia;* sed de convivio jam agitur in v. 21: *sit mensu ratio* etc. Broukhusius reposuit *convicia*, dulcia convicia amantium.

## ELEGIA XI.

### DE FUNERE SUO.

(Codd. 13, Burm. 10, II; Lachm. 4, III.)

Apertum est a Secundo in Tertium revocandum esse carmen, in quo Propertius tres libros a se compositos nominat.

Quandocumque igitur nostros mors claudet ocellos,
  Accipe, quae serves, funeris acta mei.
Nec mea tum longa spatietur imagine pompa,
  Nec tuba sit fati vana querela mei,
Nec mihi tum fulcro sternatur lectus eburno,
  Nec sit Attalico mors mea nixa toro.
Desit odoriferis nardus mihi lancibus; adsint
  Plebei parvae funeris exequiae.

Sat mea, sat magna est, si tres sint pompa libelli,
  Quos ego Persephonae maxima dona feram. 10
Tu vero nudum pectus lacerata sequaris,
  Nec fueris nomen lassa vocare meum;
Osculaque in gelidis ponas suprema labellis,
  Cum dabitur Syrio munere plenus onyx.
Deinde, ubi suppositus cinerem me fecerit ardor, 15
  Accipiat manes parvula testa meos;
Et sit in exiguo laurus super addita busto,
  Quae tegat extincti funeris umbra locum;
Et duo sint versus: „Qui nunc jacet arida pulvis,
  „Unius hic quondam servus amoris erat." 20
Nec minus haec nostri notescet fama sepulcri,
  Quam fuerant Phthii busta cruenta viri.
Tu quoque, si quando venies ad fata (memento
  Hoc iter) ad lapides, cara, veni memores!
Interea cave sis nos aspernata sepultos: 25
  Nonnihil ad verum conscia terra sapit.
Atque utinam primis animam me ponere cunis
  Jussisset quaevis de tribus una soror!
Nam quo tam dubiae servetur spiritus horae?
  Nestoris est visus post tria saecla cinis. 30
Quis tam longaevae minuisset fata senectae
  Gallicus Iliacis miles in aggeribus!
Non ille Antilochi vidisset corpus humari,
  Dixerit aut: „O mors, cur mihi sera venis?"
Tu tamen amisso nonnumquam flebis amico: 35
  Fas est praeteritos semper amare viros.
Testis, qui niveum quondam percussit Adonin
  Venantem Idalio vertice durus aper;
Illis formosum jacuisse paludibus, illuc
  Diceris effusa tu, Venus, isse coma; 40

Sed frustra mutos revocabis, Cynthia, manes:
Nam mea quid poterunt ossa minuta loqui?

7. Pro *ordo* Fonteinius conjecit *nardus*.

24. *Cana veni* Codd. omnes. Heinsius correxit *cara*. Nihilominus nonnulli *canam* defendunt, et exponunt: „Tu quoque, quando morieris, memento hoc iter ad monumentum meum, id est juxta me te cura componi; sed senem te sepulcrum accipiat. Ergo *memento hoc iter* significabit *te cura componi juxta sepulcrum meum?* Credat Judaeus Apella. Sensus est: tu quoque, quum ad sepulcra pie invisenda venies (*venies ad fata*), lapidis mei, tui memoris, vita, ne obliviscaris.

31. Gron. et Neap. *Quis tam longaevae*, addita interrogatione in pentametro, et necesse est subintelligere *si*. Mentelianus *Quis si tam longae;* Vaticanus *Cui si tam longae*. Retineo *Quis tam longaevae* optative dictum. Utinam Gallicus miles ei minuisset tam longaevam senectutem! Non ille, miser, vidisset funera filii sui.

32. *Gallicus-miles* Codd. omnes; „a Gallo (notat Janus Dousa) Phrygiae terrae fluvio, cujus meminit Naso“: miles Phrygius.

37. Codd. *testis*, *qui*. Huschkius reposuit *testis cui*. Ad Adonidem respicit, non ad aprum.

39. Codd. Palatinus et Commelinianus *Illic*. Gron. et Neap. *Illis formosum jacuisse*. Criticis notantibus Grammaticae rationem requirere *formosus*, (nam in minore versu legitur *tu isse*) Lachmannus respondit liberiorem structuram bonis exemplis defendi; Lucretius III, 592: *Saepe aliqua tamen e causa labefacta videtur Ire* anima, *ac toto solvi de corpore* mentem. Vitiosum tamen videtur *jacuisse paludibus* quia Propertius nos certiores fecerat Adonidem, non ad lacum, stagnum vel flumen concidisse, sed *Idalio vertice*. Beroaldus et Aldinae dant *flevisse*, Eldikius *planxisse*. Passeratius et Scaliger *lavisse*. Sed quum Noster Theocritum hic imitatus sit, locum ex Theocrito ipso sanandum censebam. Siculus cecinit Venerem delicias suas *ploravisse* extinctas *in silvis* Id. XX, 36. Hinc conjeceram *Illis formosum jacuisse heu saltibus, illuc* etc. Bionis Epitaphium Venerem quoque per nemora vagantem describit.

## ELEGIA XII.

### DE RAPTU HYLAE.

(Codd. et Burm. 20, Lachm. 21, I.)

In intimam inquirenti rationem carminum, quae in Tertio Libro *Cynthiae* leguntur, sponte apparebit musam Propertianam novos deduxisse modos. Quippe vel severiora tentat ad lyricam potius poesin quam ad elegiam

pertinentia, vel dramatica forma oculis subjicit modo historicas, modo fabulosas narrationes. Raptus Hylae ad hoc novum carminum genus pertinet; idcirco mihi persuasum est, elegiam in Tertium Librum traducendam esse.

Hoc pro continuo te, Galle, monemus amore,
  Id tibi ne vacuo defluat ex animo:
Saepe imprudenti fortuna occurrit amanti.
  Crudelis Minyis dixerit Ascanius.
Est tibi non infra speciem, non nomine dispar, 5
  Thiodamanteo proximus ardor Hylae:
Hunc tu, sive leges umbrosae flumina Silae,
  Sive Aniena tuos tinxerit unda pedes,
Sive Gigantea spatiabere litoris ora,
  Sive ubicumque vago fluminis hospitio: 10
Nympharum semper cupidis defende rapinis:
  Non minor Ausoniis est amor Hydriasin.
Ne tibi sit (durum!) montes et frigida saxa,
  Galle, neque expertos semper adire lacus:
Quae miser ignotis error perpessus in oris 15
  Herculis indomito fleverat Ascanio.
Namque ferunt olim Pagasae navalibus Argo
  Egressam longe Phasidos isse viam,
Et jam praeteritis labentem Athamantidos undis
  Mysorum scopulis adplicuisse ratem. 20
Hic manus heroum placidis ut constitit oris,
  Mollia composita litora fronde tegit.
At comes invicti juvenis processerat ultra
  Raram sepositi quaerere fontis aquam.
Hunc duo sectati fratres, Aquilonia proles, 25
  Hunc super et Zetes, hunc super et Calais,
Oscula suspensis instabant carpere palmis,
  Oscula et alterna ferre supina fuga.

Ille sub extrema pendens secluditur ala,
  Et volucres ramo submovet insidias. 30
Jam Pandioniae cessat genus Orithyiae:
  Ah dolor! ibat Hylas, ibat at Hydriasin.
Hic erat — Arganthi paene est sub vertice montis —
  Grata domus Nymphis humida Thyniasin;
Quam supra nullae pendebant debita curae 35
  Roscida desertis poma sub arboribus
Et circum irriguo surgebant lilia prato
  Candida, purpureis mixta papaveribus;
Quae modo decerpens tenero pueriliter ungui,
  Proposito florem praetulit officio, 40
Et modo formosis incumbens nescius undis
  Errorem blandis tardat imaginibus.
Tandem haurire parat demissis flumina palmis
  Exsertus dextro plena trahens humero.
Cujus ut accensae Hydriades candore puellae, 45
  Miratae solitos destituere choros,
Prolapsum leviter facili traxere liquore:
  Tum sonitum rapto corpore jecit Hylas.
Cui procul Alcides iterat responsa; sed illi
  Nomen ab extremis fontibus aura refert. 50
His, o Galle, tuos monitus servabis amores
  Formosum Nymphis credere visus Hylan.

12. Codd. *amor Adriacis;* quod correxerunt *in Dryasin, ah Dryasin, a Dryasin* — Fabula tradit, Hylam a Nymphis lacus Ascanii raptum fuisse, scilicet a Najadibus, in quo scriptorum omnium testimonia consentiunt. Hic versus contra juvenem abreptum a Dryadibus, id est a nemorum Nymphis, narrat; pariterque v. 45 (*accensae Dryades puellae*); atque v. 32 elatum diceret ab Hamadryadibus, nymphis illis, quarum vita a quercubus pendet. Unum et idem esse Najades ac Dryades, nemo credit, neque Propertius raptum aliter exponere potuit, qui Gallum monet ut caveat ab Aniene, a litoribus et a quocumque *fluminis hospitio*. Praeterea, quomodo, quaeso, scribae *Dryasin* in *Adriacis* depravare potuissent?

Robertus Ungerus acu rem tetigit, statuitque hic legendum esse cum Lachmanno *Hydriasin*, versu autem 45 reposuit *accensae Hydriades*, et 32 *ibat at Hydriasin*. Post palmarem Germani emendationem, caeteras praeterire possum; at, loquar an taceam? lectorem exhilarare liceat. Italus quidam conjecit: *Nec minor Ausonias est Amor et Dryadas:* fecitque Amorem devorantem Nymphas.

13. Sic Gron. et Neap. et meliores Codd. A Nympharum fraudibus cave, ne tibi errandum sit per montes et saxa et lacus ignotos, non expertos; quae olim Hercules perpessus est Hylam quaerens et deflens. *Turbida* pro *frigida* in Hamburgensi, et uno Colbertino; unde Gronovius reposuerat *torrida*, Lipsius *tabida*.

15. *Miser error Herculis.* Hercules moerens et errans.

23. *Comes invicti juvenis*, Hylas puer comes invicti Herculis.

27. *Palmis* pro *alis*, Graeca locutione. Livinejus proposuit *plumis*.

29, 30. Locus vehementer vexavit interpretes. Nodum neque Herculeum neque Gordianum, solutu tamen haud facilem sine quadam mentis contentione, expeditum habebis, sic intelligens: insidiatores, alter a dextra, alter a sinistra Hylae volabant; itaque alae extentae et suspensae puero proxime aderant; tum Hylas vultum proclinabat sub ala volatoris, sinistrorsum puta, itaque *pendens* in illa *secludebatur;* deinde, sic *extremitate alae* tectus et tutus, ramo, virgula arcebat, removebat *volucres insidias*.

33. Gron. *Arganthi Phlegre*, Neap. *Arganthiphege*. Scaliger correxit *Pegae*, Turnebus *Pege*, nomen proprium fontis sub vertice, in radicibus ipsis montis Arganthi. Credendum igitur erit lacum Ascanium vocatum quoque fuisse Pegen, vel Pegae aquas scatentes in Ascanium fluxisse ita ut cum lacu confunderentur. Eruditi tamen viri dubitant de nomine proprio fontis Pege; Graeci enim fonten quemlibet vocant πηγήν. Praeterea haec nominis mutatio obscuram reddit narrationem. Mendum latere censeo et repono: *Hic erat — Arganthi* paene est sub vertice montis. Vaticanus II *Argantonini;* Leid. I, Ed. Rheg. *phlegae*, *phegae*.

44. Codd. *innixus dextro*. Passeratius explicat «adducto brachio conatus extrahere plenam urnam» Hemsterhusius contra: «obliquato corpore proclinatus, altera manu ut inniteretur, altera, pone dextram, aquam hauriret.» Nil dicam de ambiguitate et obscuritate lectionis quae patet; sed animadvertit Burmannus sequentem versum (*cujus candore accensae Hydriades*), humerum *nudatum* requirere. Qua de re Heinsii emendationem recepissem, quam Broukhusius jam in contextu admiserat, quamque Hemsterhusius laudaverat ut dignam «quae a Propertio fuerit profecta»: *Nisus et exserto*. Verumtamen aliter locum persanandum credidi, quia non video, quomodo *exserto* in *dextro*, *innixus* in *nisus et* commutatum fuerit a scribis. Reposui: *Exsertus dextro plena trahens humero:* nudatus humero dextro hauriebat aquas. *Exsertus*, ne conspergeretur; *dextro*, quia hoc brachio aquas trahebat. Silius *Pun.* 8. v. 587: *Exsertus*

*humero, gentili more parentum;* Statius *Theb.* IV, v. 134—5: *Frena tenent exserti ingentes humeros.*

48. *Tum sonitum fecit;* sic Codd. omnes, deformata scriptura. *Sonitum facere* intelligi potest vel de corpore Hylae in aquam prolabentis, vel de clamore quem emisit puer cum in aquas trahebatur. Primam interpretationem excludit versus insequens: *cui procul Alcides iterat responsa;* de altera Hemsterhusius recte adnotavit: »non adeo Propertii vena exaruerat, ut, hoc si voluisset dicere, verbis non multo magis propriis et accomodatioribus expressisset.« Hunc et posteriorem versum ita emendavit Janus Rutgersius: *Tum sonitum rapto corpore fecit: »Hyla«. Cui procul Alcides iterat responsa; sed illi Nomen ab extremis fontibus aura refert:* Divinam Hemsterhusius dixit hanc divinationem; quae tamen non castigat vulgare illud et inamabile *sonitum fecit.* Ego conjeci = *Tum sonitum rapto corpore jecit Hylas:* Propertius Lib. Sec. El. II, v. 57 = *taliaque illacrimans mutae jace verba favillae.*

49. Hunc versum Fonteinius eleganter expoliebat: *Cui procul Alcides ter »Hyla« respondet; at illi* etc. Sed quum lectio manu scripta sententia non laboret, emendationem non mutuatus sum.

51. Gron. *monitis;* Neap. *monitus.*

52. *Credere visus* Codd. omnes, praeter Dresdensem, in quo *jussus*, et Cujacianum, in quo *tutus* legitur a Scaligero receptum. Burmannus corrigebat *cautus*, Lachmannus *fisus.* Cum Jacobio opinor *visus* retinendum esse: Hoc exemplo admonitus, servabis amores tuos, o tu qui visus es tibi credere Nymphis alterum Hylan.

## ELEGIA XIII.

### DE IMPERIO DOMINAE.

(Codd. 11, Burm. 10, III; Lachm. 10, IV.)

Versuum ordinem a 17 ad 33 distichum restitui, miserabiliter in nobilissimo carmine luxatum.

Quid mirare, meam si versat femina vitam,
  Et trahit addictum sub sua jura virum,
Criminaque ignavi capitis mihi turpia fingis,
  Quod nequeam fracto rumpere vincla jugo?
Ista ego praeterita jactavi verba juventa: 5
  Tu nunc exemplo disce timere meo.
Venturam melius praesagit navita noctem;
  Vulneribus didicit miles habere metum.

Colchis flagrantes adamantina sub juga tauros
  Egit, et armigera praelia sevit humo, 10
Custodisque feros clausit serpentis hiatus,
  Iret ut Aesonias aurea lana domos.
Ausa ferox ab equo quondam oppugnare sagittis
  Maeotis Danaum Penthesilea rates,
Aurea cui postquam nudavit cassida frontem, 15
  Vicit victorem candida forma virum.
Omphale et in tantum formae processit honorem,
  Lydia Gygaeo tincta puella lacu,
Ut, qui pacato statuisset in orbe columnas,
  Tam dura traheret mollia pensa manu. 20
Persarum statuit Babylona Semiramis urbem,
  Ut solidum cocto tolleret aggere opus,
Et duo in adversum missi per moenia currus
  Ne possent tacto stringere ab axe latus.
Duxit et Euphratem medium, qua condidit arces, 25
  Jussit et imperio subdere Bactra caput.
Quid? modo quae nostris opprobria vexerat armis,
  Et famulos inter femina trita suos,
Conjugis obsceni pretium Romana poposcit
  Moenia et addictos in sua regna patres! 30
Nunc ubi Scipiadae classes? ubi signa Camilli?
  Et Pyrrhi ad nostros gloria jacta pedes?
Hannibalis spolia et victi monumenta Syphacis?
  Aut modo Pompeja Bospora capta manu?
Septem urbs alta jugis, toto quae praesidet orbi, 35
  Femineas timuit territa morte minas.
Noxia Alexandrea, dolis aptissima tellus,
  Et totiens nostro Memphi cruenta malo,
Tres ubi Pompejo detraxit arena triumphos!
  Tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam. 40

Scilicet incesti meretrix regina Canopi
(Una Philippeo sanguine adusta nota),
Ausa Jovi nostro latrantem opponere Anubin,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas,
Romanamque tubam crepitante pellere sistro, 45
Baridos et contis rostra Liburna sequi,
Foedaque Tarpejo conopea tendere saxo,
Jura dare et statuas inter et arma Mari.
Non haec, Roma, fuit tanto tibi cive verenda;
Nec ducis assiduo lingua sepulta mero, 50
Nec mulier patienda fuit! Cape, Roma, triumphum,
Et longam Augusto salva precare diem.
Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili:
At cepere tuae Romula vincla manus.
Brachia spectavi sacris admorsa colubris, 55
Et trahere occultum membra soporis iter.
Haec Dii condiderunt, haec Di quoque moenia servant:
Vix timeat, salvo Caesare, Roma Jovem.
Curtius expletis statuit monumenta lacunis,
Ac Decius misso praelia rupit equo; 60
Coclitis abscissos testatur semita pontes;
Est cui cognomen corvus habere dedit.
Leucadias versas acies memorabit Apollo:
Tantum operis belli sustulit una dies.
At tu, sive petas portus, seu, navita, linquas, 65
Caesaris in toto sis memor Ionio.

5—8. Versuum ordinem mutavi. In Codd. v. 7, 8 praecedunt 5 et 6 sed *ista verba* referuntur ad amicum, Propertium vituperantem; cui poeta respondet exemplo meo timere disce: expertus sum; navita melius tempestatem praesagit, quia eam pridem novit; miles bellum pertimescit, quia vulnera jam excepit. Trajectis distichis, emendationes a criticis concinnatae inutiles fiunt.

5. *Praeteritam juventam* inquit, annum quartum vel quintum et vicesimum

agens. Hodieque sic loquuntur juvenes, qui maturius vitam experti sunt, vel expertos fuisse gloriantur.

7. Gron. et Neap. *navita mortem;* Perrejus, Puccius et Cod. Vossianus *navita noctem.*

13. Gron. et Neap. *quondam oppugnare;* Mentelianus *contra oppugnare.*

26. Codd. *surgere Bactra.* Burmannus patruus et Schraderus reposuerunt *subdere.* Semiramis Bactra in potestatem Nini redegit. Post hunc versum Codices habent:

Nam quid ego heroas, quid raptem in crimine divos?
Juppiter infamat seque suamque domum.

Dii nihil hic faciunt; praeterea Juppiter Deus erat aeque ac caeteri, quamquam pater deorum. Sentio monachale interpolatoris ingenium.

29. Edd. vulg. *conjugii obsceni.* Obscenus conjux est, notat Jacobius, qui feminam inter servos tritam matrimonio petit.

33. Objicitur, *monumenta* erecta non fuisse ob victoriam Scipionis in Syphacem; at regnum devictum et subactum nonne putas maximum monumentum?

40. Interpretes exponunt Romam in culpam poni ob necem Pompei. Sed nota, nunquam delenda, est Romam timuisse *femineas minas.* Mortis Magni Propertius accusat *noxiam Alexandriam Tres ubi Pompejo detraxit arena triumphos.* Distichon extra sedem suam positum in errorem criticos induxit. — Deinde Codd. addunt:

Issent Phlegraeo melius tibi funera campo,
Vel tua si socero colla daturus eras.

Contumelia in Julii Caesaris memoriam dedecet carmen, quo Augustus celebratur. Caesarem autem genero collum abscissurum fuisse, quis credat?

50. Codd. *dixit et assiduo.* Daniel Heinsius correxit *Nec ducis;* nempe Propertius, non Cleopatra, Romam alloquitur.

51. Gron. et Neap. *Si mulier;* Mentelianus. Vossianus I, Borricchianus et Guarnerianus *Sed mulier;* Heinsianus et Burmannianus *et mulier.* Reposui *nec mulier.*

60. Gron. et Neap. *at Decius.* Mentelianus *ac;* Heinsianus *et.*

63. Codd. *Et cui;* Perrejus *Est cui.*

## ELEGIA XIV.

### AD POSTUMUM.

(Codd. 12, Burm. 10, III; Lachm. 11, IV.)

Postume, plorantem potuisti linquere Gallam,
Miles et Augusti fortia signa sequi?

Tantine ulla fuit spoliata gloria Parthi,
  Ne faceres Galla multa rogante tua?
Si fas est, omnes pariter pereatis avari,
  Et quisquis fido praetulit arma toro!
Tu tamen injecta tectus, vesane, lacerna
  Potabis galea fessus Araxis aquam.
Illa quidem interea fama tabescet inani,
  Haec tua ne virtus fiat amara tibi.
Neve tua Medae laetentur caede sagittae,
  Ferreus aurato neu cataphractus equo,
Neve aliquid de te flendum referatur in urna.
  Sic redeunt, illis qui cecidere locis.
Ter quater in casta felix, o Postume, Galla;
  Moribus his alia conjuge dignus eras.
Quid faciet nullo munita puella timore,
  Cum sit luxuriae Roma magistra suae?
Sed securus eas. Gallam non munera vincent,
  Duritiaeque tuae non erit illa memor.
Nam quocumque die salvum te fata remittent,
  Pendebit collo Galla pudica tuo.
Postumus alter erit miranda conjuge Ulixes;
  Non illi longae tot nocuere morae,
Castra decem annorum et Ciconum manus, Ismara capta
  Exustaeque tuae mox, Polypheme, genae.
Et Circes fraudes lotosque herbaeque tenaces,
  Scyllaque et alternas scissa Charybdis aquas,
Lampeties Ithacis verubus mugisse juvencos
  (Paverat hos Phoebo filia Lampetie),
Et thalamum Aeaeae flentis fugisse puellae,
  Totque hiemis noctes totque natasse dies,
Nigrantesque domos animarum intrasse silentum,
  Sirenum surdo remige adisse lacus,

Et veteres arcus leto renovasse procorum, 35
Errorisque sui sic statuisse modum.
Nec frustra, quia casta domi persederat uxor.
Vincet Penelopes Aelia Galla fidem.

3. Cod. Heinsianus *Tantine illa fuit.*
7. Gron. et Heinsius *Tu tamen interea.*
10. *Tibi*, non *sibi*, uti conjecit Broukhusius.
13. Parthus ferreus cataphractus non laetetur equo tuo aurato.
18. Codd. *luxuriae tuae;* Puccius et Perrejus *suae.* Scaliger et Fonteinius versum enervarunt corrigentes: *norma magistra suae — sola magistra tuae.*
25. Codd. *Ciconum mons, Ismara, Calpe.* In nominibus propriis Codices medio aevo exarati mirifice labi solent. Ismara urbs fuit ab Ulixe expugnata, non mons; Calpen Hercules, non Ulixes vidit. Fonteinius correxit: *Ciconum manus, Ismara capta.* In panegyrico Pseudotibulliano *Ad Messalam: nam* Ciconumque manus *adversis reppulit armis.*

## ELEGIA XV.

### IN LUXUM.

(Codd. 13, Burm. 11, III; Lachm. 12, IV.)

Quaeritis, unde avidis nox sit pretiosa puellis,
Et Venere exhaustae damna querantur opes.
Certa quidem tantis causa et manifesta ruinis:
Luxuriae nimium libera facta via est.
Inda cavis aurum mittit formica metallis, 5
Et venit e rubro concha Erythraea salo,
Et Tyros ostrinos praebet Cadmea colores,
Cinnamon et culti messor odoris Arabs.
Haec etiam vittas expugnant arma pudicas;
Quamque terunt fastus, Oechalioti, tuos! 10
Matrona incedit census induta nepotum,
Et spolia opprobrii nostra per ora trahit.

Nulla est poscendi, nulla est reverentia dandi;
  Aut, si qua est, pretio tollitur ista mora.
Felix Eois lex funeris una maritis, 15
  Quos Aurora suis rubra colorat equis.
Namque, ubi mortifero jacta est fax ultima lecto,
  Uxorum fusis stat pia turba comis,
Et certamen habent laeti, quae viva sequatur
  Conjugium; pudor est non licuisse mori. 20
Ardent victrices, et flammae pectora praebent
  Imponuntque suis ora perusta viris.
Hic genus infidum nuptarum: hic nulla puella
  Nec fida Evadne, nec pia Penelope.
Felix agrestum quondam pagana juventus, 25
  Divitiae quorum messis et arbor erant,
Illis pompa fuit decussa Cydonia ramo,
  Et dare puniceis plena canistra rubis,
Nunc violas tondere manu, nunc mixta referre
  Lilia virgineos lucida per calathos, 30
Et portare suis vestitas frondibus uvas,
  Aut variam plumae versicoloris avem.
His tum blanditiis furtiva per antra puellae
  Oscula silvicolis empta dedere viris.
Hinnulei pellis tutos operibat amantes, 35
  Aptaque nativo creverat herba toro,
Pinus et incumbens laetas circumdabat umbras,
  Nec fuerat nudas poena videre deas.
Corniger Amphrysei vacuam pastoris in aulam
  Dux aries saturas ipse reduxit oves, 40
Dique, deaeque omnes, quibus est tutela per agros,
  Praebebant vestris verba benigna focis:
„Et leporem, quicumque venis, venaberis, hospes,
  „Et si forte meo tramite quaeris avem." —

6.
lb.
8.
ora
oris
9.
Sap
10
Sat
hec
sit

— „Et me Pana tibi comitem de rupe vocato, 45
„Sive petes calamo praemia, sive caue." —
At nunc desertis cessant sacraria lucis;
Aurum omnes victa jam pietate colunt.
Auro pulsa fides; auro venalia jura;
Aurum lex sequitur, mox sine lege furor. 50
Torrida sacrilegum testantur limina Brennum,
Dum petit intonsi Pythia regna dei:
At mons laurigero concussus vertice diras
Gallica Parnasus sparsit in ora nives.
Te scelus accepto Thracis Polymestoris auro 55
Nutrit in hospitio non, Polydore, pio.
Tu quoque ut auratos gereres, Eriphyla, lacertos,
Dilapsis nusquam est Amphiaraus equis.
Proloquar, atque utinam patriae sim vanus aruspex:
Frangitur ipsa suis Roma superba bonis. 60
Certa loquor, sed nulla fides; neque enim Ilia quondam
Verax Pergameis Maenas habenda malis.
Sola Parin Phrygiae fatum componere, sola
Fallacem patriae serpere dixit equum.
Ille furor patriae fuit irritus, ille parenti; 65
Experta est veros irrita lingua deos.

6. Codd. *concha Erycina*, id est Veneris. Beroaldus correxit *Erythraea* Tib. III, 3: *Quidve in Erythraeo legitur quae litore concha.*

8. Codd. *et multi pastor odoris Arabs.* Scaliger explicat, *pastor Arabs odoratus.* Petro Fonteinio reddamus felicissimam conjecturam *et culti messor odoris Arabs*, quam Lachmannus protulit.

9. Gron. *clausas pudicas;* Neap. *nittas pudicas;* Mentelianus *causas.* Ex Neapolitani corrupta scriptura *nittas* Ungerus sinceram eruit: *vittas.*

10. Codd. *Quaeque terunt;* Puccius et Perrejus *Haecque;* in vocabulario Nestoris *quaque.* Vox *quaeque* procul dubio vitiosa est; quod ad emendationem Puccii, plerique negant particulam *que* recte adjungi litterae *c.* Ungerus conjecit *quamque*, exclamantis interjectio. Ejus conjecturam firmabo ejusdem Pro-

pertii auctoritate. *Quam vereor, ne te comtempto, Cynthia, busto Abstrahat* etc. Lib. I, El. XX, v. 21. — Deinde Codd. *fastus, Icarioti, tuos*. Sed Penelope nominatur v. 24. Insuper Ungerus contendit grammaticam jubere Icari filiam dici *Icarionen*, non *Icariotidem*, et verissime emendat *Oechalioti*. Haec est Iole, Euryti, Oechaliae regis, filia, de qua Hyginus; „Hercules, cum Iolen, Euryti filiam, in conjugium petisset, *illa* eum repudiasset, Oechaliam expugnavit. Qui ut a virgine *rogaretur*, parentes ejus coram ea interficere coepit. Illa animo pertinacior, parentes suos ante se necari est perpessa.“

13. Dubitatur, utrum de muneribus petendis et dandis sit intelligendum, an de stupro compellendo et concedendo. Primam interpretationem suadent *spoliae opprobrii* superioris versus; alteram jubet insequens: *aut, si qua est, pretio tollitur ista mora.*

21. Pro *ardent victrices* Henricus Stephanus, Passeratius et Bronkhusius corrigunt *Gaudent*, quia bis idem dici credunt: *ardent*, et praebent pectora flammae. Sed *ardent* accipiendum est de cupiditate, qua victrices in certamine fervent, ut in rogum mariti illico, sine mora se jaciant.

23. Codd. *hic nulla puella*. Puccius *puella est*. Burmannus conjiciebat: *hic nulla pudica est.*

25. Codd. *pacata juventus*. Passeratius: „in pace et otio degens.“ Janus Gulielmius conjecit *pagana;* quam veram puto. Juventus agrestum quondam pagana sunt homines nondum in urbibus commorantes, in pagis et agris degentes: aurea aetas, qua Dii mortalibus miscebantur.

32. Gron. *varicoloris;* Neap. *viricoloris*. Puccius *versicoloris* restituit.

33. Gron. *per antra;* Neap. *perrara*, i. e. *per arva.*

35. Gron. *atque humilis*; Neap. *atque humili*. Scaliger correxit *Hinnulei*. Deinde *totos operibat amantes* Codd. omnes, sententia plane absurda. Nuper B. Eschenburg emendavit *tutos*.

36. Pro *altaque* Fonteinius correxit *aptaque*.

37. Gron. *lentas umbras;* Neap. *laetas*.

39. Codd. omnes *Corniger atque dei;* versus Apollinem et Admetum indicat. Verumtamen *atqüe dei* e conjectura librarii scriptum videtur. Ingeniose Hertzbergius reposuit: *Amphrysei*. Volscus emendaverat *Idaei*, Beroaldus *atque Idae*, Paridem pastorem in Ida putantes; non recte.

43. Verba Fauni; nam dii deaeque tunc temporis *praebebant verba benigna.*

45. Verba Panis haec sunt.

59. Gron. et Neap. *verus aruspex*. Contra mentem auctoris, si quid video: quoniam Propertius Romae exitium non optabat. Mentelianus et Puccius *vanus aruspex*, plana sententia: Utinam sim vanus aruspex, utinam vana sint quae

cinor patriae! At certum est Romam frangi nimia bonorum felicitate. Vera certa loquor, sed mihi non creditur. Nec mirum, nam eodem modo Cassandrae le fuit ut mendax haberetur.

5. Codd. *furor patriae fuit utilis*. Immo inutilis prorsus, quia ei non credeir. Repone *irritus* cum Fonteinio. Irritus fuit patriae furor ille; et sero nimis compertum, irritam linguam deorum monita locutam esse.

## ELEGIA XVI.

### DE LUDIS LACONICIS.

(Codd. 14, Burm. 12, III; Lachm. 13, IV.)

Multa tuae, Sparte, miramur jura palaestrae,
  Sed mage virginei tot bona gymnasii:
Quod non infames exercet corpore laudes
  Inter luctantes nuda puella viros,
Cum pila velocis fallit per brachia jactus, 5
  Increpat et versi clavis adunca trochi.
Pulverulentaque ad extremas stat femina metas,
  Et patitur duro vulnera pancratio.
Nunc ligat ad caestum gaudentia brachia loris;
  Missile nunc disci pondus in orbe rotat; 10
Gyrum pulsat equis, niveum latus ense revincit,
  Virgineumque cavo protegit aere caput.
Et modo Taygeti, crines adspersa pruina,
  Sectatur patrios per juga longa canes.
Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis, 15
  Thermodontiacis turba levatur agris,
Qualis et Eurotae Pollux et Castor arenis,
  Hic victor pugnis, ille futurus equis;
Inter quos Helene nudis capere arma papillis
  Fertur, nec fratres erubuisse deos. 20
Lex igitur Spartana vetat secedere amantes,
  Et licet in triviis ad latus esse suae.

Nec timor, aut ulla est clausae tutela puellae,
  Nec gravis austeri poena cavenda viri.
Nullo praemisso, de rebus tute loquaris
  Ipse tuis: longae nulla repulsa morae.
Non Tyriae vestes errantia lumina fallunt,
  Est neque odoratae cura molesta comae.
At nostra ingenti vadit circumdata turba,
  Nec digitum angusta est inseruisse via.
Nec quae sint facies, nec quae sint verba rogandi,
  Invenias: caecum versat amator iter.
Quodsi jura fores pugnasque imitata Laconum,
  Carior hoc esses tu mihi, Roma, bono.

1. *Jura*, mores, ritus.

3. *Infames laudes* Codd. omnes. Auratus correxit *ludos*. Quid si ve sit scripta lectio? Honesta laude digni erant ludi Spartani, ad corpus firmand instituti; contra Romae *infames laudes* obtinebant, quippe qui ad turpes libidi incitandas essent instructi.

5. Ita Codd. sed interpretatio non facilis. Scaliger corrigebat *pila ve jactu*, pila propter velocem, vehementem jactum effugit inter brachia. La mannus *velocis* quarto casu usurpatum, ex antiquo scribendi more, autum exponitque: pila velociter nimis jactantes decipit, in obliquam viam delata. I autem cum Passeratio *velocis* genitivo casu accipio; et explico: pila quae veloc jacitur, pila *velocis jactus* effugit, *fugit* inter brachia, inter manus adverse Eadem orationis structura occurrit in minore versu: *Increpat et versi cl adunca trochi.*

6. *Increpat*, crepitum, sonitum edit.

11. *Gyrum*, Circum, septena circi spatia ab equis pulsata.

13. Hoc distichum Codd. postponunt insequenti. Jam pridem viri docti o nem restituerunt, neque Lachmanni argumentatio in contrarium apud me va Etenim, ut alia omittam, *Castor* et *Pollux*, *inter quos Helene* (v. 17 et : aut *venantur* in *arenis Eurotae*, quod absurdum erit; aut, si *venantur* rejici protasis verbo carebit. Quod tam clare elucet, ut Lachmannus ipse addide In Eurotae arenis quid faciant (Dioscuri) poeta non dicit. Dicit medius fi in versu 16, qui ex consequenti anteponendus est: *turba levatur agris.* rationem poeticam quod attinet, Propertius, cum similitudines et exempl fabulis petit, ea solet amatque geminare, atque adeo triplicare.

16. Codd. *lavatur aquis*. Propertius dixisset Spartanas virgines caput galea premere, quales Amazones nudato sinu . . . quum *lavantur in aquis* fluminis Thermodontis. At, ni fallor, non Amazones tantum tunicam ponunt, cum fluvialibus undis se lavant. Heinsius emendavit: *turba vagatur agris*. Veram scripturam credo: *turba levatur agris*.

28. *Odoratae domi* Codd. Canterus, nullo repugnante, correxit *comae*.

30. Inter tantam comitum turbam vel digitum inserere, immittere *non est*, non datur, non licet. Pedisequi comitabantur Romanos et Romanas, decoris specie ad luxum ostentandum.

## ELEGIA XVII.

### MANDATUM AMICAE.

(Codd. 16, Burm. 14, III; Lachm. 15, IV.)

Nox media, et dominae mihi venit epistola nostrae
  Tibure: me missa jussit adesse mora,
Candida qua geminas ostendunt culmina turres,
  Et cadit in patulos Nympha Aniena lacus.
Quid faciam? obductis committam mene tenebris, 5
  Aut timeam audaces in mea membra manus?
At, si haec distulero nostro mandata timore,
  Nocturno fletus saevior hoste mihi.
Peccaram semel, et totum sum pulsus in annum:
  In me mansuetas non habet illa manus. 10
Nec tamen est quisquam, sacros qui laedat amantes;
  Scironis medias sic licet ire vias.
Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris,
  Nemo adeo, ut noceat, barbarus esse volet.
Luna ministrat iter: demonstrant astra salebras; 15
  Ipse Amor accensas percutit ante faces,
Saeva canum rabies morsus avertit hiantes;
  Huic generi quovis tempore tuta via est.

Sanguine tam parvo quis enim spargatur amantis
  Improbus? ecce suis fit comes ipsa Venus. 2
Quodsi certa meos sequerentur funera casus,
  Talis mors pretio vel sit emenda mihi.
[— Adferet haec unguenta mihi, sertisque sepulcrum
  Ornabit custos ad mea busta sedens.
Di faciant, mea ne terra locet ossa frequenti, 2
  Qua facit assiduo tramite vulgus iter.
Post mortem tumuli sic infamantur amantum.
  Me tegat arborea devia terra coma,
Aut humer ignotae cumulis vallatus arenae.
  Non juvat in media nomen habere via. —] 3

2. Gron. et Neap. *me missa;* Mentelianus *me nulla.* Propertius Ron Tibur arcessitur a Cynthia. Quare interpungendum est: *dominae mihi ver epistola nostrae Tibure: me missa* etc. Amica Tibure degebat, poeta Roma quod apertum est ex versibus 3 et 4.

4. Gron. *lympha;* Neap. *Nympha.*

6. Gron. et Neap. *ut timeam;* Dresdensis *aut timeam*, sententia favente

12. Gron. *scilicet ire;* Neap. *scilicet;* Heinsianus *sim licet;* Puccius *sic lice* id est, si quis amat.

16. *Percutit* Codd. omnes; quassat. Correxerunt *praecutit;* sed *praecu ante* bis idem dicit.

20. Codd. *exclusis fit comes.* Exclusi ad rem non pertinent. Guyetus eme daverat *in cursu fit comes;* Fischerus restituit: *ecce suis.*

23. *Afferet huc* Codd. omnes. Cum Guyeto repono *haec*, Cynthia.

29. Gron. *ignotae tumulus;* Neap. Leidensis II, Vaticanus V, Palatin *ignotae cumulis.* In v. 27 jam reperitur *tumulus.*

30. Interpolata quinque postrema disticha Heimreichius censet, quae absur etiam vocat. Absurda non sentio; immo v. 21 et 22 ad absolvendum carm necessarii sunt, nec stilus vel poetica forma Propertio indigna videntur; s pugnant apertissime cum iis quae de sepulcro suo dixit El. XI praec. v. 19—2 insuper v. 27 puerilitatem quamdam sapit, totoque coelo dissidat ab illo: *N poterunt juvenes nostro reticere sepulcro: Ardoris nostri magne poeta jace* El. XXI Lib. Sec. v. 23. Locum uncis inclusi. Lector emunctae naris monit ipse videat.

## ELEGIA XVIII.

### AD BACCHUM.

(Codd. 17, Burm. 15, III; Lachm. 16, IV.)

Nunc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris;
  Da mihi pacato vela secunda, pater.
Tu potes insanae Veneris compescere fastus,
  Curarumque tuo fit medicina mero;
Per te junguntur, per te solvuntur amantes, 5
  Tu vitium ex animo dilue, Bacche, meo.
Te quoque enim non esse rudem testatur amoris
  Lyncibus ad coelum vecta Ariadna tuis.
Hoc mihi, quod veteres custodit in ossibus ignes,
  Funera sanabunt aut tua vina, malum. 10
Semper enim vacuos nox sobria torquet amantes,
  Spesque timorque animum versat utrinque meum.
Quodsi, Bacche, tuis per fervida tempora donis,
  Arcessitus erit somnus in ossa mea,
Ipse seram vites, pangamque ex ordine colles, 15
  Quos carpant nullae, me vigilante, ferae.
Dum modo purpureo spument mihi dolia musto,
  Et nova pressantes inquinet uva pedes,
Quod superest vitae, per te et tua cornua vivam,
  Virtutisque tuae, Bacche, poeta ferar. 20
Dicam ego maternos Aetnaeo fulmine partus,
  Indica Nysaeis arma fugata choris,
Vesanumque nova nequicquam in vite Lycurgum,
  Pentheos in triplices funera grata greges,
Curvaque Tyrrhenos delphinum corpora nautas 25
  In vada pampinea desiluisse rate,
Et tibi per mediam bene olentia flumina Naxon,
  Unde tuum potant Naxia turba merum.

Candida laxatis onerato colla corymbis
  Cinget Bassaricas Lydia mitra comas, 30
Levis odorato cervix manabit olivo,
  Et feries nudos veste fluente pedes.
Mollia Dircaeae pulsabunt cymbala Thebae;
  Capripedes calamo Panes hiante canent;
Vertice turrigero juxta dea magna Cybebe 35
  Tundet ad Idaeos tympana rauca choros,
Ante fores templi crater antistitis auro
  Libatum fundens in tua sacra merum.
Haec ego non humili referam memoranda cothurno,
  Qualis Pindarico spiritus ore tonat. 40
Tu modo servitio vacuum me siste superbo,
  Atque hoc sollicitum vince sopore caput.

2. Gron. *baccato;* Neap. *pacato.*

8. Codd. *ad caelum;* male in vulgg. *in caelum.* Praecedit *in astris.*

10. Gron. et Neap. *aut tua vina;* Mentelianus cum aliis *vel.*

12. Gron. *animum vexat utrinque meum;* Neap. *animo* versat *utroque modo.* Groninganum sequor, ex Neap. corrigens *versat* pro *vexat.*

33. *Mollia tympana* Codd. quae non mollia sunt, sed tonantia. Pariter v. 36 Codd. *cymbala rauca,* quae *tenues tinnitus,* ut ait Catullus, edebant. Burmannus correxit *mollia cymbala,* deinde *tympana rauca.* Nomina instrumentorum permutarunt sedem scribarum vitio.

## ELEGIA XIX.

### DE INCONTINENTIA MULIERUM.

(Codd. 19, Burm. 17, III; Lachm. 18, IV.)

Objicitur toties a te mihi nostra libido:
  Crede mihi, vobis imperat ista magis.
Vos, ubi contempti rupistis frena pudoris,
  Nescitis captae mentis habere modum.

Flamma per incensas citius sedetur aristas, 5
  Fluminaque ad fontis sint reditura caput,
Et placidum Syrtes portum et bona litora nautis
  Praebeat hospitio saeva Malea suo,
Quam possit vestros quisquam reprehendere cursus,
  Et rabidae stimulos frangere nequitiae. 10
Testis, Cretaei fastus quae passa juvenci,
  Induit abiegnae cornua falsa bovis;
Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo,
  Quae voluit liquido tota subire deo.
Crimen et illa fuit, patria succensa senecta 15
  Arboris in frondes condita Myrrha novae.
Nam quid Medeae referam, quo tempore matris
  Iram natorum caede piavit Amor?
Quidve Clytaemnestrae, propter quam tota Mycenis
  Infamis stupro stat Pelopea domus? 20
Teque o Minoa venumdata, Scylla, figura,
  Tondens purpurea regna paterna coma?
Hanc igitur dotem virgo desponderat hosti?
  Nise, tuas portas fraude reclusit Amor.
At vos, innuptae, felicius urite taedas: 25
  Pendet Cretaea tracta puella rate.
Non tamen immerito Minos sedet arbiter Orci:
  Victor erat quamvis, aequus in hoste fuit.

Gron. et Neap. *reprehendere cursus;* Heinsianus *reprimere.* Fonteinius nebat *restringere.*

*Crimen* i. e. infamis, scelesta.

Subintelligendum est *scelus*, vel *facta* Medeae. Item in v. 19.

Codd. et edd. omnes *Tuque o Minoa.* Ego autem quo nominativus *Tu* natice conveniat, videre nequeo: quid referam crimen Medeae, quid crimen ɜmnestrae, ET TU, o Scylla venum data. — Cum Guyeto ergo repono ɜ. *Tondens* cum *Minoa* conjungitur.

## ELEGIA XX.

### AD TULLUM.

(Codd. 22, Burm. 21, III; Lachm. 22, IV.)

Frigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos,
  Tulle, Propontiaca qua fluit Isthmos aqua;
Dindymus, et sacrae fabricata juvenca Cybebae,
  Raptorisque tulit qua via Ditis equos?
Si te forte juvant Helles, Athamantidos urbes, 5
  Nec desiderio, Tulle, movere meo: —
Tu licet adspicias coelum omne Atlanta gerentem,
  Sectaque Persea Phorcidos ora manu,
Geryonae stabula et luctantum in pulvere signa
  Herculis Antaeique Hesperidumque choros; 10
Tuque tuo Colchum propellas remige Phasin,
  Peliacaeque trabis totum iter ipse legas,
Qua rudis Argoa natat inter saxa columba
  In faciem prorae pinus adacta novae;
Et si qua Ortygia et visenda est ora Caystri, 15
  Et qua septenas temperat unda vias —
Omnia Romanae cedent miracula terrae;
  Natura hic posuit, quicquid ubique fuit.
Armis apta magis tellus, quam commoda noxae,
  Famam, Roma, tuae non pudet historiae. 20
Nam, quantum ferro, tantum pietate potentes
  Stamus: victrices temperat ira manus.
Hic, Anio Tiburne, fluis; Clitumnus ab Umbro
  Tramite, et aeternum Marcius humor opus,
Albanusque lacus, socii Nemorensis et unda, 25
  Potaque Pollucis limpha salubris equo.
At non squamoso labuntur ventre cerastae,
  Itala portentis nec furit unda novis;

Non hic Andromedae resonant pro matre catenae,
  Nec tremis Ausonias, Phoebe fugate, dapes, 30
Nec cuiquam absentes arserunt in caput ignes,
  Exitium nato matre movente suo.
Penthea non saevae venantur in arbore Bacchae,
  Nec solvit Danaas subdita cerva rates;
Cornua nec valuit curvare in pellice Juno, 35
  Aut faciem turpi dedecorare bove,
Arboreasve cruces sinit, aut non hospita Grajis
  Saxa, aut curvatas in sua fata trabes.
Haec tibi, Tulle, parens, haec est pulcherrima sedes;
  Hic tibi pro digna gente petendus honos; 40
Hic tibi ad eloquium cives, hic ampla nepotum
  Spes et venturae conjugis aptus amor.

. Interrogationem apposui, ne oratio pendeat usque ad v. 18. Id quoque ntia suadet.

—14. Tu cum tuis sociis Colchidem petas et legas iter trabis Peliacae, qua pinus, adacta in faciem novae prorae, natavit inter saxa, duce columba Argoa.

. Gron. et Neap. *Et si qua Orige.* Volscus correxit *Ortygia;* Ortygia vetus erat nomen Ephesi, cui vicinus Cayster profluit. Hauptius eleganter uit *Et si qua Ortygia et visenda est* etc. Si tibi sunt visenda Ephesus et Caystri.

. Gron. et Neap. *temperat ira.* Leidensis II, Vaticanus V et alii *tem- illa.* Ira cessat in hostem devictum.

. *Clitumnus* nimirum *fluit.*

. Gron. *socii Nemorensis et unda.* Neap. *socii ab unda.* Puccius *socia.* tura Gron. magis placet, propter conjunctionem *et unda.*

. Codd. *fluit unda.* Scaliger ex suo Cod. scripsit *furit unda*, quod recepi.

. *Arboreasque cruces Sinis* (vel *Scinis*) *et non hospita Grajis:* ita editiones s; ubi verbum desideratur, quia propositio regi nequit a *nec valuit are* v. 35, et durum est mente addere *praetereo* vel *non habet.* Arbitror lum latere in *Sinis*, nomen latronis Corinthii a Theseo sublati, quod nulli ces exhibent. Et reapse cum poeta Sinis immanitates duobus versibus ibat, eum nominare haud juvabat. *Scinis* Beroaldo debetur, quod commun fuit in *Sinis;* sed Gron. et Mentelianus *Senis;* Neap. *senis* et secunda

manu *cinis*. Dresdensis, Vossianus IV et ed. Rheg. *saevis*. Repono: *Arboreasve cruces sinit*. Affixum *ve* aeque disjungit, ut monet Bentlejus, et perinde hic valet, ac *neque*. Horatius Carm. III, 23: Nec *pestilentem sentiet Africum Fecunda vitis*, nec *sterilem seges Robiginem* aut *dulces alumni Pomifero grave tempus anno*. Virgilius *Aen*. IV, 140: nec *conjugis umquam Praetendi taedas*, aut *haec in foedera veni*.

## ELEGIA XXI.

### DE TABELLIS DEPERDITIS.

(Codd. 23, Burm. 22, III; Lachm. 23, IV.)

Ergo tam doctae nobis periere tabellae,
  Scripta quibus pariter tot periere bona!
Has quondam nostris manibus detriverat usus,
  Qui non signatas jussit habere fidem.
Illae jam sine me norant placare puellam, 5
  Et quaedam sine me verba diserta loqui.
Non illas fixum caras effecerat aurum;
  Vulgari buxo sordida cera fuit.
Qualescumque mihi semper mansere fideles,
  Semper et effectus promeruere bonos. 10
Forsitan haec illis fuerant mandata tabellis:
  „Irascor, quoniam es, lente, moratus heri.
„An tibi nescio quae visa est formosior? an tu
  „Non bene de nobis crimina ficta jacis?"
Aut dixit: „Venies hodie, cessabimus una; 15
  Hospitium tota nocte paravit Amor."
Et quaecunque volens reperit non stulta puella,
  Garrula cum blandis dicitur hora dolis.
Me miserum! his aliquis rationem scribit avarus,
  Et ponit duras inter ephemeridas. 20
Quas si quis mihi retulerit, donabitur auro.
  Quis pro divitiis ligna retenta velit?

I, puer, et citus haec aliqua propone columna,
Et dominum Esquiliis scribe habitare tuum.

5. Gron. et Neap. *placare puellas;* Vossianus IV et D'Orvillianus *puellam.*

14. Gron. *non bona;* Neap. et Leidensis II: *Non bene.*

17. Codd. *dolens.* Puccius et Perrejus *volens.*

18. Gron. *dicitur;* Neap. et alii male *ducitur. Blandos dolos* interpretor dulcia furta.

22. *Signa retenta* Codd. Puccius *ligna,* tabellas ligneas; itemque Beroaldus.

## ELEGIA XXII.

### AD CYNTHIAM.

(Codd. 7, Burm. 6, Lachm. 7, II.)

In chronologia carminum Propertii constituenda gravissima est haec elegia quae nos certissime ad an. DCCXXXVI revocat, ut in commentatione praemissa demonstravi. Cynthia hic gaudet quod lex de maritandis ordinibus quam Augustus rogaverat an. DCCXXXVI et Senatus jam probaverat, populi suffragia non tulisset. Carmen igitur, confectum exeunte anno DCCXXXVI vel anno DCCXXXVII, traduxi in Tertium Librum. Versus 5 et 6: *At Magnus Caesar* indicant civium Romanorum repugnantiam, qui teste Suetonio tumultu legem impugnaverant.

Gavisa es certe sublatam, Cynthia, legem,
Quae quondam edicta flemus uterque diu,
Ni nos divideret; quamvis diducere amantes
Non queat invitos Juppiter ipse duos.
At magnus Caesar!.. — Sed magnus Caesar in armis: 5
Devictae gentes nil in amore valent.
Nam citius paterer caput hoc discedere collo,
Quam possem nuptae prodere amore faces.
Anne ego transirem tua limina clausa maritus,
Respiciens udis perdita luminibus? 10
Ah mea tum qualis caneret tibi, Cynthia, somnos
Tibia, funesta tristior illa tuba!

Unde mihi Parthis gnatos praebere triumphis?
  Nullus de nostro sanguine miles erit.
Quod si vera meae comitarer castra puellae 15
  Non mihi sat magnus Castoris iret equus.
Hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen,
  Gloria ad hibernos lata Borysthenidas.
Tu mihi sola places: placeam tibi, Cynthia, solus!
  Hic erit et patrio sanguine pluris amor. 20
Uxor me numquam, numquam diducet amica:
  Semper amica mihi, semper et uxor eris.

1. *Gavisa est* Codd. Schraderus correxit *Gavisa es.* Heineccius *de lege Papia Poppea* scribit: »Furtivi erant poetae ac Cynthiae amores eosque justis praeferebant nuptiis. *Edicta* ergo *lege*, idest more majorum per trinundinum promulgata, graviter dolebant, veriti ne divellentur, si Propertio secundum legem ineundum esset matrimonium. Tanto magis vero gaudebant, quum eam intelligerent *sublatam.*« Augustus multis post annis legem denno rogavit, tumque pertulit, quinquennuali vacatione data.

5. *At magnus Caesar!*.. est objectio, cui statim respondent quae sequuntur.

8. *Perdere*, et v. 10 *prodita* Gron. et Neap. *Prodere*, *perdita* in Vossiano II et IV, quod cum Passeratio recepi.

13. Codd. *patriis triumphis*; ignobilem sententiam civi Romano indignam Propertio imputare nolim. Egregie Ruhnkenius emendavit *Parthis:* Cur procreare liberos qui in longinquis terris capti Parthorum triumphos augeant?

15. Codd. *comitarent castra puellae.* Rejectis non immerito doctorum virorum conjecturis, Lachmannus se in hoc versu nihil intelligere fatetur. Puccius tamen veram lectionem vel servaverat vel restituerat: *comitarer.* Vera castra poetae sunt castra amatoria: *Hinc etenim tantum meruit* sua *gloria* nomen, *Gloria ad hibernos lata Borysthenidas.* Si haec vera castra Cynthiae sequi posset, ne magnus quidem equus Castoris, ne Cyllarus quidem ipse, iret illi sat i. e. satis velociter. Ovidius, *Am.* I, 9: *Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido.*

20. *Patrio sanguine* Lachmannus intelligit cognationem sanguinis, quae patri cum filiis intercedit.

21. Distichum quod ultimum annectitur fragmentis Lib. Sec., (quae in Codd. hanc elegiam praecedunt) in sedem suam traduxerunt Scaliger et Lipsius. — Gron. et Neap. *me ducet.* Volscus correxit *deducet;* Burmannus conjiciebat *subducet.* Schneidewinus *diducet*, quod unice verum videtur.

# ELEGIA XXIII.

## AD CYNTHIAM.

(Codd. 31, Burm. 23, II; Lachm. 27, III.)

Codices hanc et insequentem conjungunt. Puccius sedecim primos versus distinxit, his adjectis: „haud dubie desiderantur multa hoc loco carmina: finis scilicet superioris elegiae et principium hujus.“ Perrejus item notavit: „Finis hujus et principium insequentis elegiae desideratur.“ Nihil desideratur, dummodo ea quae ad singulas pertinent illis reddantur, versuumque ordo restituatur. Initio primae describitur templum, Apollini a Caesare dicatum an. u. c. DCCXXVI, cui postea, teste Suetonio, „addidit porticus cum bibliotheca Latina Graecaque“ de qua agitur in v. 1—6; ibi enim, non in templo, erat statua Augusti. Ergo carmen non anno DCCXXVI conditum fuit, sed postea, fortasse an. DCCXXXVI aut DCCXXXVII.

Quaeris cur veniam tibi tardior? aurea Phoebi
  Porticus a magno Caesare aperta fuit.
Tota erat in speciem Poenis digesta columnis,
  Inter quos Danai femina turba senis;
Hic equidem Phoebo visus mihi pulchrior ipso 5
  Marmoreus tacita carmen hiare lyra.
Tum medium claro surgebat marmore templum
  Et patria Phoebo carius Ortygia;
Et duo solis erant supra fastigia currus,
  Et valvae Libyci nobile dentis opus. 10
Altera dejectos Parnasi vertice Gallos,
  Altera maerebat funera Tantalidos.
Deinde inter matrem deus ipse interque sororem
  Pythius in longa carmine veste sonat.
Atque aram circum steterant armenta Myronis 15
  Quattuor artificis, vivida signa, boves.
Hoc utinam spatiere loco, quodcumque vacabis,
  Cynthia! nam tibi me credere turba vetat,

Cum videt accensis devotam currere taedis
  In nemus, et Triviae lumina ferre Deae. 20
Scilicet umbrosis sordet Pompeja columnis
  Porticus, aulaeis nobilis Attalicis;
Et creber platanis pariter surgentibus ordo,
  Flumina sopito quaeque Aniene cadunt,
Et leviter lymphis tota crepitantibus urbe, 25
  Cum subito Triton ore recludit aquam.
Nam quid Praeneste dubias, o Cynthia, sortes,
  Quid petis Aeaei moenia Telegoni?
Curve te in Herculeum deportant esseda Tibur?
  Appia cur toties te via Lanuvii? 30
Nil agis! ista tui furtum via monstrat Amoris:
  Non urbem, demens, -- lumina nostra fugis.
Falleris: insidias in me componis inanes:
  Tendis iners docto retia nota mihi.
Nuper enim de te nostras pervenit ad aures 35
  Rumor, et in tota non bonus urbe fuit.
Sed de me minus est: famae jactura pudicae
  Tanta tibi miserae, quanta mereris, erit.

3. *In speciem*, speciose.

5. Ordinem Codicum non mutavi. Statua Augusti non erat posita in templo Apollinis, sed in bibliotheca, ut docuit Santenius.

7. Codd. *claro marmore*, hoc est, splendido, lucente. Scaliger corrigebat *Clario*, Passeratius *Pario*.

9. Codd. *et quo;* vulg. edd. *in quo*. Hertzbergius emendavit *Et duo*. Super propylaeo fori Corinthii duo solis currus aurei conspiciebantur. Probabiliter ad illud exemplar duos quoque effecerat Augustus, quorum unus ortum, alter occasum solis repraesentaret.

16. Codd. *artificis*; Broukhusius corrigebat *artifices*. Post hunc versum manuscripti habent:

Qui videt, is peccat: qui te non viderit ergo,
  Non cupiet: facti crimina lumen habet.

Distichon neque cum antecedentibus neque cum sequentibus quadrat, nullamque

in toto carmine convenientem sedem invenire potest. Sententiae perobscurae sunt et coactae; *crimina lumen habent* quid sit nemo discerit. Quodsi cum Heinsio repones: *lumina crimen habent*, tenebras et ambiguitates non fugabis. Aenigmata quae nobis objecit sciolus quidam, non Propertius, spongia delenda, non medicina sananda sunt.

17. *Hoc loco*, cum Passeratio intellige *Romae*, non in templo Apollinis.

23, 24. Codd. *platanis urgentibus;* Calpurnius correxit *surgentibus*. Codd. *Marone cadunt;* Marklandus reposuit *Aniene:* Propertius, descripta bibliotheca Augusti et Apollinis templo, celebrat notam porticum Pompei, aquas Anienis Romam deductas, fontes umbrosasque ambulationes ab Agrippa signis et artium operibus ornatas. Sententiarum ordo a v. 17 ad 26 hic est: Utinam adires, o Cynthia, tam praeclara Urbis monumenta, potius quam Aricinum nemus peteres, spectaculum te praebens, accensis taedis currentem ad celebranda sacra Dianae! Omnes et omnia me credere vetant te talia gerere religione permotam. Num sordent, num squalidae sunt Romae porticus Pompei, umbratiles columnae, tentoria Attalica, crebrae platani? Displicent aquae rapidi Anienis (*praeceps Anio* Horatii) hic nunc sopitae, id est in canales et fistulas conclusae, leviter fluentes, salientes et crepitantes tum cum Tritonis statua subito os recludit, ex ore suo illas aquas emittit, jaculatur?

27. Quid petis dubias sortes Praeneste.

30. Neap. *ducit anus*. Gron. *ducit anum*, i. e. turpem aniculam, Italice *vecchiaccia*. Nemo certe liberali educatione institutus talia ferat. Beroaldus, Heinsius, Broukhusius, Burmannus jure meritoque damnaverunt: Vulpius defendere nisus est animadvertens Venetiis blande dici *mia vecchia;* sed probandum erat, Romae atque apud Latinos nostratia verba in usu fuisse. — Melior erat profecto interpretatio Perreji: Cur via Appia toties te ducit *ad anum*, id est ad sagam, ad divinam aliquam ariolam. Verum doctus quidam Britannus superioris saeculi sinceram lectionem restituit: *Lanuvium*. Praeneste, Tusculum, Tibur et Lanuvium rusticationi, deliciis et amoribus loca erant conscia et parata; singula nominat Propertius. Librarii, quorum intolerabiles errores in nominibus propriis exarandis noti sunt, Lanuvium in *ducit anum* contaminarunt. Vix tamen credas, recentiores criticos aequo animo iterare foedam scripturam; in barbaros scribas „tantum religio potuit suadere malorum!"

35. Gron. *pervenit ad aures;* Neap. *me laedit ad aures*. Distichon mihi non caret suspicione. Jam dixerat: *tibi me credere turba vetat*. Modo nunc: tendit iners retia *mihi docto;* cur, quaeso adderet: *nuper enim* de *te nostras pervenit ad aures Rumor?* Non rumoribus tantum edoctus erat Propertius. Nihilo secius, quamquam duos frigidulos versus ordo sententiarum non requirit, expellere e contextu non sum ausus.

# ELEGIA XXIV.

## AD EANDEM.

(Codd. 32, Burm. 23, II; Lachm. 28, III.)

Pendet ab antecedente. Cynthia amatoris criminationibus objicit: Sed tu credere non debes linguis hominum; invidia semper formosas momordit, lacessivitque. Cui Propertius: Sane nec venefica es, nec homicida; sane parva crimina jecur meum urere non debent. Helena Parim secuta est; an minus laudata domum reducta fuit? Fertur Venus Martis stuprum passa fuisse; non minus in caelo honorata fuit. Cum Anchise bubulco non accubuit? spectaverunt hoc Hamadryades et Sileni: Bacchus ipse plaudebat. Deinde, perditis saeculi moribus vehementer perstrictis, concludit: Latinas cum tu Graecasque heroidas matronasque imiteris, jam causa perorata est: meo judicio ibis libera et absoluta.

„— Sed tu non debes inimicae credere linguae:
„Semper formosis fabula poena fuit." —
Non tua deprenso damnata est fama veneno:
Testis eris puras, Phoebe, videre manus.
Sin autem longo nox una aut altera lusu 5
Consumpta est, non me crimina parva movent.
Tyndaris externo patriam mutavit amore,
Et sine dedecore est viva reducta domum.
Ipsa Venus fertur corrupta libidine Martis:
Non minus in caelo semper honesta fuit; 10
Quamvis Ida Prhygen pastorem dicat amasse
Atque inter pecudes accubuisse deam,
Hoc et Hamadryadum spectavit turba sororum,
Silenique senes et pater ipse chori;
Cum quibus Idaeo legisti poma sub antro, 15
Supposita excipiens Bacchica dona manu.
An quisquam in tanto stuprorum examine quaerit:
„Cur haec tam dives? quis dedit? unde dedit?"

O nimium nostro felicem tempore Romam,
Si contra mores una puella facit! 20
Haec eadem ante illam impune et Lesbia fecit:
Quae sequitur certe est invidiosa minus.
Qui quaerit Tatios veteres durosque Sabinos,
Hic posuit nostra nuper in urbe pedem.
Tu prius et fluctus poteris siccare marinos, 25
Altaque mortali deligere astra manu,
Quam facere ut nostrae nolint peccare puellae:
Hic mos Saturno regna tenente fuit,
Et cum Deucalionis aquae fluxere per orbem,
Et post antiquas Deucalionis aquas. 30
Dic mihi, quis poterit lectum servare pudicum,
Quae Dea cum solo vivere sola Deo?
Uxorem quondam magni Minois, ut ajunt,
Corrupit torvi candida forma bovis.
Nec minus aerato Danae circumdata muro 35
Non potuit magno casta negare deo.
Quodsi tu Grajas tuque es imitata Latinas,
Semper vive meo libera judicio.

3, 4. Ironia duorum versuum fefellit vel doctissimos viros, qui argutati sunt Cynthiam veneficii postulatam fuisse.

5. Gron. *luxu;* Neap. *lusu.*

8. *Sine decreto* Codd. *sine dedecore* reposuit Santenius. Palmaris emendatio.

9. Gron. *quamvis corrupta;* Neap. *fertur corrupta;* quod praefero et Propertius depromsit a Theocrito Id. I, 105.

11. Gron. *Quamvis Ida Parim;* Neap. *Quamvis Ida Pari;* Vaticanus II, Colotianus, et Perrejus: *quamvis te.* Venus Paridem non deperiit, verum Anchisen. Quapropter Schraderus emendavit *Prhygen*, nempe Aeneae patrem. Propertium meminerat Theocriti Id. I, 105 et XX, 34. Nuperrime Robertus Ungerus conjecit: *Quamvis te Ida, Parens.* Venus Parens, scilicet Aeneadum mater, genetrix. Ingeniosam emendationem non recepi, quia Julia gens, Venerem *parentem* vocabant, non Romani, neque Propertius, qui El. XXVII Lib. Sec.

v. 11: *Ipsa tuam serva prolem, Venus; hoc sit in aevum, Cernis ab Aenea quod superesse caput.* MARS PATER *et sacrae fatalia lumina Vestae* etc.

13. Contra vulgatam interpretationem *spectare* accipio pro *admirari*, *suspicere*, uti in Horatio Epis. I, 16, v. 57: *Vir bonus, omne forum quem spectat et omne tribunal;* unde spectatus, spectabilis. Bene procedit oratio: Quamvis Dea accubuisses in stabulis cum pastore Phrygio, istud admiratae sunt et comiter viderunt Hamadryades, Sileni etc.

16. Codd. *Naica dona.* Volscus et Beroaldus exponunt poma et flores quae legere amant Najades; sed adjectivum *Naica* exemplo caret. Ungerus emendat *Nanica.* Ex Arnobio constat Adrastum genitalibus a Baccho privatum mirum in modum sanguinem effudisse, quem terra bibit. Ex hoc repente malum punicum cum pomis nascitur. Nana, Sangarii regis vel fluminis filia, pulcra specie decepta, mala carpit, in sinu reponit, atque fit praegnans. Tanquam vitiatam claudit pater, ut inedia moriatur; pomis et aliis bacculis sustentatur a matre. Natum infantem Sangarius exponi jubet. Repertus et salvus factus, Attis fuit. „Per sinum, inquit Arnobius, Nana filium concepit ex pomo; pomis debuerat vivere quae mater facta fuerat de pomo.“ Venus legens poma sub antro Idaeo cum Anchise, Baccho, Silenis etc., Aeneae mater extitit, ut Attidis Nana, quae prima illorum vim pomorum experta fuit. Hinc *Nanica dona.* At adjectivum istud, ni fallor, exemplo caret aeque ac *Naica.* Qua de causa ego recolligens Bacchum, ut tradunt, malorum inventorem fuisse, atque Propertium Venerem sub antro Idaeo a Libero poma excipientem describere, contra sententiam docti Germani conjicio scribendum esse *Bacchica dona.* Librarii optime sciebant Bacchum primum vitem seruisse; de malis autem vel eos fugiebat, vel dubitabant; commutavere *Bacchica* in *Naica*, incuriosi utrum adjectivum esset probum, an non. Obiter notabo Puccium Deam quae in monte Ida cum Paride accubuit, Oenonem intellexisse, indeque Scaligerum concinnavisse: *Supposita excipiens, Nai, caduca manu.* Sed num Dea dici possit Oenone Nympha ambigunt eruditi viri; nec convenienter, ut mea opinio est, Oenonen veluti exemplum dissolutissimae vitae praebuisset Propertius.

## ELEGIA XXV.

### ULTIMA VERBA.

(Codd. 24, 25; Burm. 23, III; Lachm. 24, IV.)

Falsa est ista tuae, mulier, fiducia formae,
Olim elegis nimium facta superba meis.

Noster amor tales tribuit tibi, Cynthia, laudes;
  Versibus insignem te pudet esse meis.
Fictam te varia laudavi saepe figura, 5
  Ut, quod non esses, esse putaret amor;
Et color est toties roseo collatus Eoo,
  Cum tibi quaesitus candor in ore foret.
Quod mihi non patrii poterant avertere amici,
  Eluere aut vasto Thessala saga mari. 10
Haec ego non ferro, non igne coactus, et ipsa
  Naufragus Aegaea verba fatebar aqua.
Correptus saevo Veneris torrebar aheno;
  Vinctus eram versas in mea terga manus.
Ecce coronatae portum tetigere carinae, 15
  Trajectae Syrtes, ancora jacta mihi est.
Nunc demum vasto fessi resipiscimus aestu,
  Vulneraque ad sanum nunc coiëre mea.
Mens bona, si qua dea es, tua me in sacraria dono:
  Exciderant surdo tot mea vota Jovi. 20
Risus eram positis inter convivia mensis,
  Et de me poterat quilibet esse loquax.
Quinque tibi potui servire fideliter annos:
  Ungue meam morso saepe querere fidem.
Nil moveor lacrimis; ista sum cautus ab arte: 25
  Semper ab insidiis, Cynthia, flere soles.
Flebo ego discedens, sed fletum injuria vincit;
  Tu bene conveniens non sinis ire jugum.
Limina jam nostris valeant lacrimantia verbis,
  Nec tamen irata janua fracta manu. 30
At te celatis aetas gravis urgeat annis,
  Et veniat formae ruga sinistra tuae.
Vellere tum cupies albos a stirpe capillos,
  Ah speculo rugas increpitante tibi;

Exclusa inque vicem fastus patiere superbos, 35
Et, quae fecisti, facta quereris anus.
Has tibi fatalis cecinit mea pagina diras.
Eventum formae disce timere tuae.

2. Codd. *oculis meis.* Cum Schradero repono: *elegis meis.*

5. *Mixtam* Codd. Passeratius explicat „quia ad formam plura simul miscentur, ut candor cum rubore, fulva coma, longae manus, oculorum geminae faces, incessus etc.“ Heinsius correxerat *fictam*, quod commendatur a minore versu.

12. *Verba fatebar* Codd. fatebar haec inania verba de pulchritudine tua. *Vera* conjecit Livinejus, minus eleganter.

19. Codd. *in sacraria dono.* Heinsius *condo*, Marklandus *pono* conjectabant.

20. Codd. *Exciderant;* Livinejus correxit *exciderint*, quod Marklandus sic exponit: „hactenus satis sit tot mea vota excidisse, neglecta fuisse vel oblita Iovi.“ Praefero *exciderant*, cui respondet *Risus eram* versus insequentis.

21 In Codd. versus, qui sequuntur, a praecedentibus separantur. At Puccius: „Una est elegia.“

25. *Sum captus ab arte* Codd. Optime Heimreichius emendavit *sum cautus.*

29. *Limina lacrimantia verbis* audax figura, non tamen extenuanda cum Burmanno et aliis.

34. Codd. *ah speculo.* Beroaldus et Cod Colotianus *et speculo*, in vulgg. receptum.

36. *Anus* hic apte dicitur; quo convicio Propertii interpolatores inhoneste abusi sunt.

37. *Fatalis pagina*, quae fatum continet.

Subscriptio Cod. Hamburgensis:

**PROPERTII AURELII NAUTAE MONOBIBLOS LIBER TERTIUS EXPLICIT.**

# SEX. AURELII PROPERTII

# IN MORTEM CORNELIAE EPICEDION.

## (ULTIMA LIB. IV.)

### CORNELIA PAULLO.

In Codd. elegiarum regina scholasticum et rhetoricum exitum habet a nitida poesi et Propertii natura alienum, unde legentis animus frigore quodam correptus poetae acumen laudare solet, ubi dolentis vocem perperam quaerit. Antequam Io. Schraderi *Emendationum Librum* legerem, elegiam novum in ordinem digessi. Docti viri auctoritate laetatus, trajectionum causas ejus verbis subjiciam. „Ipsa ratio, inquit, Criticos docere poterat eam sic contextam fuisse, ut Cornelia virum solata causam oraret, causaque perorata, liberos illi commendaret, ipsosque officii et pietatis, patri praestandae, admoneret. Itaque laudandus est Scaliger, quod versus *Filia tu specimen* cet., qui in scriptis libris ante commendationem liberorum collocantur, in finem carminis rejecit. Sed hoc amplius ultimi versus ponendi sunt ante versus *Nunc tibi commendo* etc.“ Has, aliasque nonnullas transpositiones, a germana sententiarum cohaerentia jussas, efficere non dubitavi; quaedam rudem amanuensium manum tradentia, a manu scripta lectione non multum recedens, libera conjectura expolivi. Cornelia obiit an. DCCXXXVIII; Propertium putes, qui paullo post supremum diem obierit, proximam mortem velut instinctu quodam praesentientem, cygni cantum edidisse.

Desine, Paulle, meum lacrimis urgere sepulcrum!
Nempe tuas lacrimas limina surda bibent.
Vota movent Superos: ubi portitor aera recepit,
Obserat humatos lurida prora rogos:

Cum semel infernas intrarunt funera leges, 5
  Panditur ad nullas janua nigra preces.
Te licet orantem fuscae deus audiat aulae,
  Non exorato stant adamante serae.
Sic moestae cecinere tubae, cum subdita nostrum
  Detraheret lecto fax inimica caput. 10
Quid mihi conjugium Paulli, quid sanguis avorum
  Profuit, aut famae pignora tanta meae?
Non minus immites habui Cornelia Parcas:
  En sum, quod digitis quinque levatur onus.
Damnatae noctes et vos vada lenta paludis 15
  Et quaecumque meos implicet unda pedes,
Immatura licet, tamen huc non noxia veni:
  Deprecor hinc umbrae mollia jura meae.
At si quis posita judex sedet Aeacus urna,
  Is mea sortita vindicet ossa pila; 20
Adsideant fratres: juxta Minoida sellam
  Eumenidum intento turba severa foro.
Sisyphe, mole vaces; taceant Ixionis orbes;
  Fallax Tantalee corripiare liquor;
Cerberus et nullas hodie petat improbus umbras, 25
  Et jaceat tacita laxa catena sera.
Ipsa loquar pro me; si fallo, poena sororum
  Infelix humeros urgeat urna meos.
Si cui fama fuit per avita tropaea decori,
  Versa Numantinos regna loquuntur avos. 30
Altera maternos exaequat turba Libones,
  Et domus est titulis utraque fulta suis.
Mox ubi jam facibus cessit praetexta maritis,
  Vinxit et aspersas altera vitta comas,
Jungor, Paulle, tuo sic discessura cubili, 35
  Ut lapide huic uni nupta fuisse legar.

Testor majorum cineres tibi, Roma, verendos,
  Sub quorum titulis, Africa tonsa, jaces,
Me neque censurae legem mollisse, nec ulla
  Labe mea vestros erubuisse focos. 40
Non fuit exuviis tantis Cornelia damnum,
  Quin erat et magnae pars imitanda domus.
Nec mea mutata est aetas: sine crimine tota est;
  Viximus insignes inter utramque facem.
Mi natura dedit leges a sanguine ductas, 45
  Ne possem melior judicis esse metu.
Quaelibet austeras de me ferat una tabellas,
  Turpior adsessu non erit ulla meo.
Vel tu quae tardam movisti fune Cybeben,
  Claudia, turritae rara ministra Deae; 50
Vel cui, commissos quum Vesta reposceret ignes,
  Exhibuit vivos carbasus alba focos.
Nec te, dulce caput, mater Scribonia, laesi;
  In me mutatum quid nisi fata velis?
Maternis laudor lacrimis, urbisque querelis, 55
  Defensa et gemitu Caesaris ossa mea.
Ille sua nata dignam vixisse sororem
  Increpat, et lacrimas vidimus ire Deo.
Haec est feminei merces extrema triumphi,
  Laudat ubi emeritum libera fama torum. 60
Vidimus et fratrem sellam geminasse curulem,
  Consule quo infecto tempore rapta soror.
Et tamen emerui generosos vestis honores,
  Nec mea de sterili facta rapina domo.
Et bene habet: numquam mater lugubria sumpsi, 65
  Venit in exequias tota caterva meas.
Tu, Lepide, et tu, Paulle, meum post fata levamen,
  Condita sunt vestro lumina nostra sinu.

Causa perorata est. Flentes me, surgite, testes:
  Jam pretium vitae grata rependit Humus. 70
Moribus et caelum patuit: sum digna merendo,
  Cujus honoratis ossa vehantur avis.
Nunc tibi commendo communia pignora natos:
  Haec cura et cineri spirat inusta meo.
Fungere maternis vicibus, pater! illa mearum 75
  Omnis erit collo turba ferenda tuo.
Oscula cum dederis tua flentibus, adjice matris:
  Tota domus coepit nunc onus esse tuum.
Et si quid doliturus, eris sine testibus illis:
  Cum venient, siccis oscula falle genis. 80
Sat tibi sint noctes, quas de me, Paulle, fatiges,
  Somniaque in faciem reddita saepe mihi.
Atque ubi secreto nostra ad simulacra loqueris,
  Ut responsurae singula verba jace.
Seu tamen adversum mutarit janua lectum, 85
  Sederit et nostro cauta noverca toro,
Conjugium, pueri, laudate et ferte paternum!
  Capta dabit vestris moribus illa manus.
Nec matrem laudate nimis; collata priori
  Vertet in offensas libera verba suas. 90
Seu memor ille mea contentus manserit umbra,
  Et tanti cineres duxerit esse meos:
Discite venturam jam nunc sentire senectam
  Caelibis, ad curas nec vacet ulla via.
Filia, tu specimen censurae nupta paternae, 95
  Fac teneas unum, nos imitata, virum.
Quod mihi detractum est, vestros accedat ad annos:
  Prole mea Paullum sic juvet esse senem.

1—8. Hic est in Codd. versuum ordo:

Desine, Paule, meum lacrimis urgere sepulcrum,
  Panditur ad nullas janua nigra preces.
Quum semel infernas intrarunt funera leges,
  Non exorato stant adamante *viae*.
Te licet orantem fuscae deus audiat aulae,
  Nempe tuas lacrimas *litora* surda bibent.
Vota movent Superos: ubi portitor aera recepit,
  Obserat *herbosos* lurida *porta* rogos.

ipso initio dicit: *panditur ad nullas janua nigra preces*, omnia quae sequuntur, nent. Viae clausae, fores obstructae inexorabili adamante cum umbris, quae *nas intrarunt leges*, non apte conveniunt. Neque conveniunt aut sibi em respondent: Pluto, deus fuscae aulae, *te audit*, sed *litora* surda bibunt *mas tuas*. Charon autem, ubi naulum accepit, quid facit? Trajicit umbras. Hic ra *lurida porta obserat* rogos: de portitore ne verbum quidem amplius. *Herbosos* s intellectu perdifficile; quoniam animae ipso horae momento transvectae, lcrum, ut interpretantur, nondum habent *herbosum*, ne quid dicam de insulso ıine in oppositione: *rogos herbosos*. Itali saeculi XVII, vel recentes Franci, aureae aetatis Romanus haec componeret quae subtile judicium dedecent. ıralis sententiarum progressus est: Desine a lacrimis; inanes sunt. Preces ent Superos; Charon, aere accepto, subvectat umbras lurida rate; quum infernas sedes intrarunt, janua iis nunquam panditur; nam etsi Pluto te ;, inexorabiles sunt fores adamantinae.

:. Codd. *litora*. Utrum litora Orci, an infernorum fluminum? an Romana ı? Sed Paullus ad uxoris sepulcrum lacrimatur. Amplector Fonteinii emen- nem: *limina*, limina sepulcri.

ı. Si hujus versus emendationes quaeras, aestu numerabis aristas. Gron. ). et Mentelianus *herbosos rogos*. Vossianus, Vaticanus I et II, D'Orvillianus Perrejo *umbrosos;* omnes *lurida porta*. Livinejus reponebat *locos* pro *rogos*, sius *choros;* Marklandus *obsidet umbrosos lurida parca locos;* Hemsterhusius: *rat umbrosos lurida porta domos*. Nemo tamen ante Peerlkampium viderat ım laborare, non tantum locutionem. Revera interpretamenta et conamina a nihil efficiunt nisi hoc: portorium datur, porta Orci occluditur. Verum rae portam horrendam non ingrediuntur, nisi prius a Charonte transvectae; ı pentametrum significare oportebat. Taedet praeterea ejusdem sententiae epetitae: porta claudit umbras, janua non panditur, viae vel serae obserantur. : omnino a Propertii genio aliena. Peerlkampius reposuit *Ipse per umbrosas ra portat aquas;* audacius quam verius; nec feliciter, quia *funera* legitur . 5, atque Stygiae aquae non bene *umbrosae* vocarentur; Virgilii caetero- ıue notae sunt infernalium fluminum et lacuum descriptiones. Reposui *prora*. ıae ex ingenio fecerunt *porta*, praecedente *obserat*. *Humatos* correxi pro

*herbosos;* mortui enim cremabantur, deinde sepeliebantur. *Observat* est coacervatim in navi recipere. *Rogi* non *sepulcra*, sed umbrae ipsae sunt.

5. Codd. omnes *leges;* Burmannus malebat *sedes.*

8. Notat Peerlkampius: viae adamantinae sunt viae durissimae, non viae clausae: si aditum praebent, reditum per se non praecludunt. Mortis via descensu facilis; at revocare gradum *hoc opus, hic labor.* Heinsius correxerat *serae*, vel *fores.* Conjeceram *non exorato clausa adamante via est*, quam pentametri formam amat Propertius. Recepi tamen *serae.* Bootius pro *non exorato* conjecerat *non exorabis.*

11. *Currus avorum*, Codd. omnes. Peerlkampius notat: *avi* habuerunt suum quisque currum triumphalem: ergo non *currum* sed *currus;* correxitque *sanguis.*

13. Gron. *num;* Neap. *non*, quod praefero. Suavius est, minuitque interrogationes in carmine frequentiores.

15. Codd. omnes *damnatae.* Nonnulli Critici christianum interpolatorem sentiunt, quia hoc epitheton noctibus inferorum nusquam adjicitur a poetis. Fonteinius conjiciebat *Tartareae*, Peerlkampius *Aeternae.* Sed *damnatas* interpretor morti addictas, numerosam et poeticam vocem expungere nolens. Deinde Codd. *vada, paludes;* cum Bootio reposui: *vada paludis.*

17. Folium Cod. Neapolitani deperditum est, continens v. 17 ad 74.

18. Codd. *Det pater hic.* Monachalem pro Propertiana scriptura habemus. Quo pacto matrona se efferens, innocentiae suae conscia, quae judicum severitatem provocat, Claudiae et Aemiliae Vestalibus se comparat, nunc *mollia jura* precaretur? *Patrem* quis Plutonem vocavit? Virum pium Corneliae superbia laesit; pie scripsit *det pater.* Nos cum Koppiersio restituamus Romane *Deprecor.* Deinde Codd. *hic umbrae;* Puccius restituit *hinc:* quia innoxia sum, *hinc*, ob id deprecor mollia jura.

19. Codd. *aut si*, ob interpolatum *det pater* versus superioris. Nestor in vocabulario: *at si.*

20. Codd. *In mea.* Gron. et Hamburgensis *judicet;* Neap. *vindicet;* Heinsianus *vindicat.* Cum Heinsio lego *Is mea.* Sortitio judicum fiebat pilis, in quibus eorum nomina inscripta erant.

21. Gron. *juxta Minoida sellam.* Hamburgensis *sella;* Puccius *sella et.*

22. Gron. *in tonto;* Modius *in toto.* Ed. Rheg. *intento.* Cod. Asckewianus *focos* pro *foro.* Graevius conjiciebat *Eumenidum intentat turba severa foro.* Burmannus patruus: *Eumenidum intentat turba severa faces*, favente Asckewiano; Bootius *Eumenidum teneat turba severa forum.* Groninganam scripturam servavi. Sententia est: Adsideant infernales judices; juxta Minoa *stet* Eumenidum turba, toto foro intento, judicium meum spectante.

24. Codd. *Tantaleus*, vel *Tantaleae*. Ungerus reposuit *Tantalee liquor*. Alias conjecturas praetermitto.

25. Distichon mihi suspectum. Friget profecto post superiora jussa. Gron. *lassa;* Mentelianus *laxa;* edd. vulg. *lapsa*. Sufficit *laxam* esse catenam, non *lapsam*, ita ut solutus sit Cerberus. Versui lucem adfert Statii locus: *Ferrea Cerbereae tacuerunt limina portae*. Theb. VIII, v. 56. Cerberus neque laniet umbras neque latret.

30. Gron. *Aera Numantinos;* alii *vera*, *atra*. Puccius correxit *versa*, Scaliger *Afra*. Sed *Africa* nominatur paullo post. *Versa* retineo, quamquam criticus facetior ait: an regna deleta loquuntur?

34. Gron. *acceptas comas;* Puccius et Perrejus *aspersas*. Ritui nuptiali alludit, quo nubentium crines aqua aspergebantur.

35, 36. Plerique majorem a minore versu disjungunt, ita ut Cornelia dicat: non sic, non tam immature me discessuram sperabam. Verus animi affectus, sed bis alibi significatus (*immatura licet — infecto tempore*); praeterea minor versus penderet. Cum Graevio et Heinsio lego *ut lapide* etc. Sic tibi, Paulle, juncta fui, ut uni tantum nupsisse dicar in lapide. Augusto imperante ad unum et alterum maritum feminae convolabant, uno et altero viventibus. Valerius Maximus Lib. II, cap. 1, 3: *Quae uno contentae matrimonio fuerant, corona pudicitiae honorabantur*. Marcilius, Koppiersius, Lachmannus correxerunt *lapide hoc* pro *lapide huic* Codd. Cornelia non lapidem cogitat, sed Paullum: *huic uni nupta*.

38. *Sub quorum titulis* Codd. omnes, praecedente *et domus est titulis utraque fulta suis*. Barthius emendabat *pedibus*, firmante v. Propertiano *et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes*. — Deinde Gron. *jaces;* Heinsianus *jacet*. — Post hunc versum in Codd. legitur distichon

Et Persen proavi simulantem pectus Achillis,
Quique tuas proavus fregit, Achille, domos;

quod cum Koppiersio spurium judico. Cornelia testatur majorum suorum, non Persei Achillisve Manes; neque Propertius illepide *proavi* in hexametro, *proavus* in pentametro repetisset. Fuit, quum temptarem: *Testor qui Persen simulantem pectus Achillis*, *Quique tuas proavo fregit Achille domos*, ita ut non Persen, non Achillem Romana matrona testaretur, verum Manes Aemilii avi sui, Macedoniae victoris. Frigidulum tamen post *Africa tonsa* omne additamentum videtur, nimisque artificiosum et declamatorium bis mutatis verbis in uno et altero versu hoc unum significare, id est Perseum victum. Disticho omisso, simplex et gravior fit oratio.

42. *Quin erat* Codd. Vir doctus, cujus nomen siletur apud Koppiersium, conjecit *Quin erit*.

47. Codd. *Quaelibet urna.* Deformata scriptura, quia tabellae conjiciebantur in unam urnam. Eldikius correxit *umbra;* Bootius *una.* In regno umbrarum umbra subintelligitur, quando *unam* dicimus.

48. Gron. Mentelianus, Hamburgensis *ascensu.* Guyetus dedit *assessu* vel *adsessu*, quod accipiendum esset de more, quo in Romanis judiciis amici reo adsidebant. Santenius contra intelligit sedem, quae Corneliae, judicio absolutae, apud inferos adsignaretur. Mea consuetudo, vicinia nulli pudor erit.

57. An. DCCXXXVIII quo Cornelia vita excessit, Juliae fama perdita nondum erat.

58. *Increpat*, iterum iterumque dicit cum aliquo moeroris sensu. Sic. El. Lib. Tert. *Increpet absentem nec sua mater Ityn.*

59, 68. In Codd. hic est ordo versuum:

Et tamen emerui generosos vestis honores,
Nec mea de sterili facta rapina domo.
Tu, Lepide, et tu, Paulle, meum post fata levamen,
Condita sunt vestro lumina nostra sinu.
Vidimus et fratrem sellam geminasse curulem,
Consule quo *facto* tempore rapta soror.
Filia, tu specimen censurae *nata* paternae,
Fac teneas unum nos imitata virum.
*Et serie fulcite genus: mihi cymba volenti*
*Solvitur aucturis* tot mea fata *malis.*
Haec est feminei merces extrema triumphi,
Laudat ubi emeritum libera fama torum.

V. 58 Augustus Corneliam deflebat; ideo non congruit *et tamen emerui;* nullam enim de fecunditate Corneliae mentionem fecit. Deinde filios memorat, ad fratrem transit, ad filiam redit; tandem declarat maximum praemium feminae esse liberas laudes post mortem in eam collatas. Ex industria perversum putes. Sunt qui haec portenta ore Pindarico digna clamitent; limatioris judicii viri suspicantur lacunas; nos librariorum negligentiam manifesto cernimus, et disticha in pristinum ordinem redintegramus.

62. Codd. *consule quo facto tempore rapta soror.* Atque interpretes: Corneliam tempestive obiisse dicit. At juvenis mater, felix uxor immaturum fatum suum miserata erat. Jacobius egregie emendavit: *Consule quo*, infecto *tempore*, i. e. nondum perfecto tempore, immature. Ita Lib. Tert. El. III, v. 31: *Aut prius* infecto *deponat praemia cursu.*

69. In Codd. hoc et insequenti disticho elegia concluditur.

70. Codd. *Dum pretium;* in Borrichiano tamen *Tum*, quod sententia effla-

gitat. Reposui *Jam. Humus*, Inferi; ita El. Lib. Prim. *Tellus hoc ita justa sinat.*

71. *Moribus et patuit caelum.* Hor. *Carm.* III, 21: *Virtus, recludens immeritis mori caelum.* Cicero de justis idem confirmat. — Codd. *sim digna merendo.* Reposui *sum.* Cornelia asseverat, non optat, quippe vitae praemium jam retulisse dixit v. superiore.

72. Codd. *aquis.* Heinsius correxit *avis.*

75. Codd. *illa meorum* etc. liberi mei omnes sunt ferendi collo tuo; in qua imagine aliquid si non ridiculi, sane inconcinni inest, jamque Peerlkampius correxerat in v. minore *cordi* pro *collo.* Praeclarum mihi humanissimis suis literis emendationem praebuit Bootius: *illa mearum*, id est *vicium*, curarum matris abreptae, quibus marito fungendum erat.

82. Codd. *reddita somnia.* Graevius malebat *credita.*

93. Codd. *sentire senectam.* Critici conjecerunt *lenire*, *munire* etc., quia haud facile explicatur *sentire senectam.* Mutata distinctione verborum, Peerlkampius locum illustravit *Discite venturam jam nunc sentire senectam Coelibis, ad curam nec vacet ulla dies.* Senex nondum erat Paullus, sed coelebs. Cornelia ait: liberi jam nunc sentiant quam miser futura sit vita senis coelibis.

95. Codd. *tu specimen nata.* Heinsius vere correxit *nupta.* Non filiam nubilem, sed nuptam monere potuisset, ut univira esset. Filia tu, olim *nupta*, si nupseris, sis specimen censurae paternae et univira.

96. Distichum addunt Codd.

Et serie fulcite genus; mihi cymba volenti
Solvitur, aucturis tot mea fata malis.

Fulcire genus *serie*, puta *nepotum*, *sobolis*, insolens est. Pentameter absurdus. Respee postquam Augustum laudaverat, Cornelia memorare non potuit tot mala sibi ab Augusto illata: Lepidum Triumvirum socerum proscriptum, Scriboniam matrem repudiatam. Lachmannus correxit: *Aucturis tot mea fata meis*, ut Cornelia se libenter mori fateatur propter amplam nepotum spem. Optime profecto: sed, monet Koppiersius, quid Corneliae, quae jam premebatur Plutonis imperio, quid illi nunc cum Charontis cymba? Adde feminam aetatis flore, matrem tres adamatos liberos desiderantem, uxorem de marito sollicitam, non mori *volentem.* Ista cum iis, quae in carmine praecedunt, pugnant, suntque ab humana natura aliena. Versus inconditos expunxi.

---

(LIBER QUARTUS PSEUDOPROPERTIANUS.)

# DIERUM

## (POEMATIS) FRAGMENTA.

---

### I.

### DE URBE ROMA.

(Codd. et Burm. 1, IV; Lachm. 1, V.)

Omnium DIERUM fragmentorum hoc nobilissimum. Cur Propertio asserere nequeam in dissertatione praemissa exposui, et multa quae poeta ab Ovidio mutuatus est, protuli. Sabino restituendum censeo.

Hoc quodcumque vides, hospes, qua maxima Roma est,
  Ante Phrygem Aenean collis et herba fuit:
Atque ubi Navali stant sacra Palatia Phoebo,
  Evandri profugae concubuere boves.
Fictilibus crevere deis haec aurea templa, 5
  Nec fuit opprobrio facta sine arte casa,
Tarpejusque pater nuda de rupe tonabat,
  Et Tiberis nostris advena bubus erat.
Qua gradibus domus ista Remi se sustulit, olim
  Unus erat fratrum maxima regna focus. 10
Curia, praetexto quae nunc nitet alta Senatu,
  Pellitos habuit, rustica corda, patres.

Buccina cogebat priscos ad verba Quirites;
  Centum illi in prato saepe Senatus erat;
Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro, 15
  Pulpita sollemnes non oluere crocos.
Nulli cura fuit externos quaerere divos,
  Cum tremeret patrio pendula turba sacro.
Annuaque accenso celebrare Palilia faeno,
  Qualia nunc curto lustra novantur equo. 20
Vesta coronatis pauper gaudebat asellis,
  Ducebant macrae vilia sacra boves.
Parva saginati lustrabant compita porci,
  Pastor et ad calamos exta litabat ovis.
Vellera pellitus setosa movebat arator, 25
  Unde licens Fabius sacra Lupercus habet.
Nec rudis infestis miles radiabat in armis:
  Miscebant usta praelia nuda sude.
Prima galeritus posuit praetoria Lucmo,
  Magnaque pars Tatio rerum erat inter oves. 30
Hinc Tities Ramnesque viri, Luceresque coloni:
  Quattuor hinc albos Romulus egit equos.
Quippe suburbanae parva eminus urbe Bovillae,
  Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabi,
Et stetit Alba potens, albae suis omine nata; 35
  Hac tibi Fidenas longe erat isse via.
Nil patrium nisi nomen habet Romanus alumnus:
  Sanguinis altricem non putat esse lupam.
Huc melius profugos misisti, Troja, penates.
  O quali vecta est Dardana puppis ave! 40
Jam bene spondebant tunc omina, quod nihil illam
  Laeserat abiegni venter apertus equi,
Cum pater in gnati trepidus cervice pependit,
  Et verita est humeros urere flamma pios.

Hinc animi venere Deci Brutique secures, 45
  Vexit et ipsa sui Caesaris arma Venus,
Arma resurgentis portans victricia Trojae:
  Felix terra tuos cepit, Iule, deos;
Si modo Avernalis tremulae cortina Sibyllae
  Dixit Aventino rura pianda Remo, 50
Aut si Pergameae sero rata carmina vatis
  Longaevum ad Priami vera fuere caput:
„Vertite equum, Danai, male vincitis: Ilia tellus
  „Vivet, et huic cineri Juppiter arma dabit."
Optima nutricum nostris lupa Martia rebus, 55
  Qualia creverunt moenia lacte tuo!
Moenia namque pio conor disponere versu:
  Hei mihi, quod nostro est parvus in ore sonus!
Sed tamen exiguo quodcumque e pectore rivi
  Fluxerit, hoc patriae serviet omne meae. 60
Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:
  Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua,
Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
  Umbria Romano patria Callimacho.
Scandentes si quis cernet de vallibus arces, 65
  Ingenio muros aestimet ille meo.
Roma, fave, tibi surgit opus, date candida cives
  Omina, et inceptis dextera cantet avis.

19, 20. Distichon perobsurum nondumque satis illustratum. Palilia solemnia mense Aprili celebrabantur congestis cum foeno stipulis, quibus accensis rustici per ignem transiliebant. Mense autem Octobri equus Marti immolabatur in campo Martio, cui caput et cauda abscindebantur inque Regiam deferebantur sanguine adhuc destillante. Duorum sacrorum simplicitatem poeta laudare videtur. Sed nihil in ritu Octobris lustrationem urbis arguit. Igitur cum Passeratio, donec quidquam melius prodeat, intelligo censionem Equitum lustricam, sive quinquennualem, et *curtum* equum dici, „quia is fuerit olim in deliciis, ut et curti muli, et nunc equi auribus mutili." Quare interpretor:

Veteres rustica Palilia celebrabant eadem cura et civium concursu, quo in praesentia, luxuriae et superbiae causa, Equestris censio fit. Interpretatio firmatur v. 27: *nec rudis infectis miles radiabat in armis.*

19. *Celebrare* Marklandus pro *celebravere* positum putabat, cujus exemplum nusquam invenitur. Lachmannus emendabat *Annua at*, quia aliter *celebrare* penderet. Sed verbum assumitur a v. 17 *cura fuit.* Vide adnotationem ad v. 11 et 12 El. XXVII Lib. Primi.

33. Codd. *parva minus*, id est Bovillae minus suburbanae. Lachmannus correxit *eminus*, quum Bovillae tum non *minus*, sed plane *non suburbanae* essent. Sensus est: Bovillae, nunc suburbanae, tum parva urbe erant longe. Ritschelius interpolatum censebat hunc versum, quia Bovillae quae ab urbe circa decem milia passuum distabant, suburbanae dicuntur. Idem tamen dixit Ovidius Fas. III: *Quippe suburbanis quaedam fuit Anna Bovillis.*

36. Locus subobscurus. Omnes Codd. *Hac, ubi*; sed Heinsianus *hac tibi.* Omnes iterum *longe-vias;* Puccius vero *longa-via.* Neap. et Hamburgensis *isse* pro *ire.* Qui *vias* retinent, explicant: in hac parte ubi ire vias Fidenas (Fidenates) erat longe ire. Qui *via* praeferunt, exponunt: Hac ubi via Fidenas est, longe erat ire. Ritschelius conjiciebat: *Hinc, ubi Fidenas longa erat ire vias.* Ego adhaerens Neap. Hamburgensi et Heinsiano repono: *Hac tibi Fidenas longe erat isse via.* Ab hac via, Roma, Fidenas usque longum iter erat.

38. Gron. *non pudet;* Neap. *non putet;* Puccius *non putat*, quod accepi. Miror in hunc versum festinanter inquisitum fuisse a viris doctis. Omnes interpretantur: Romani nomen conditoris urbis retinent, non virtutes, non paupertatem, eosque a lupa nutritos fuisse pudet. Itaque mores aequalium poeta insectatur. Sed ab hoc sensu carmen alienum esse videtur, quod hanc unam sententiam extulit et amplificavit: locus quo surgit maxima Roma, erat pascua bovibus; res parvae creverunt; fausto omine Troja huc Penates attulit; qualia facta sunt moenia, condita ab illo qui a lupa nutritus fertur! Insectatio igitur in magnificentiam Romanorum omnino est aliena. Qua de re olim censebam *Romanum alumnum* non pro Romanis accipiendum esse, sed pro Romulo ipso. Nil patrium ille habuit nisi nomen; caetera diis refert. Verum *Romanus alumnus* pro Romulo exemplo caret. Ad interpretationem, quam veram existimo, viam mihi struxit scriptura Neapolitana, quae dat *non putet* pro *non pudet.* Romanus non credat veram lupam auctores suos educavisse: haec portenta diis referenda sunt. Dubitationes sustulit Plinii locus, H. N. Lib. 8, Cap. 17: „Quae de infantibus ferarum lacte nutritis, cum essent expositi, produntur, *sicut de conditoribus nostris a lupa*, MAGNITUDINI FATORUM ACCEPTA FERRI aequius quam ferarum naturae arbitror.“ Favet etiam, ni fallor v. 55: *Optima nutricum nostris lupa Martia rebus*, qui ad deum, geminorum auctorem, revocat, dum lupam altricem iterum designat.

41. *Nihil illam laeserat*, id est navem Dardanam: continens pro contento; Aeneas, Iulus, dii Penates incolumes fuerunt, dum Troja flammis perit.

45. *Tunc* Codd. quod non cohaeret. Scripsi *Hinc* cum Heinsio.

50. Codd. omnes *rura Remo*. Praeclare Ungerus restituit *jura*, et, locum Servii proferens, distichum illustravit: „Remo interempto (ait Virgilii interpres) natam constat pestilentiam. Unde consulta oracula dixerunt placandos esse Manes fratris extincti, ob quam rem sella curulis cum sceptro et corona et casteris regni insignibus semper juxta sancientem aliquid Romulum ponebatur, ut pariter imperare viderentur.“ Hic a Sabino (liceat mihi personatum Poematis auctorem nomine suo appellare) a Sabino comperimus tum Romanos peste afflictos consuluisse Sibyllam Avernalem. Aventinus dicitur Remus, quia montem Aventinum tenebat, cum oracula captans prior vidit sex vultures. Arrepta occasione, alteram aeque felicem Ungeri emendationem memorabo quam in contextu recepissem si tempestive ejus commentationem in manibus habuissem. Lib. Prim. El. I, v. 10: *at vos, quibus est — labor in magicis* sacra piare *focis* dant Codd. et edd. omnes. Quod accipitur: deos placare magicis artibus et sacrificiis. Doctus vir conjicit *astra piare*. Sequitur enim *Tum ego crediderim vobis* et sidera *et amnes posse Cytaeis ducere carminibus*. Astra piare est astrorum duritiam exorare. Propertius Lib. Sec. El. XII v. 36: *Vivere me duro sidere certus eris*. Ovid. *Heroid.* VIII, 88: *Quod mihi* (*vae miserae*) *sidus obesse querar?*

57. Gron. et Neap. *disponere versu;* Mentelianus *describere*. Lucretius, V, 530: *sequor disponere causas*.

68. In Codd. elegia *De Astrologo* huic jungitur. Post *Dierum* fragmenta collocavi.

## II.

### DE VERTUMNO.

(Codd. Burm. 2, IV; Lachm. 2, V.)

Non est dubitandum quin poeta, qui hunc Vertumnum fecit, habuerit sub oculis Janum et Vertumnum Ovidii (*Fast.* I, *Met.* XIV.)

Quid mirare meas tot in uno corpore formas?
  Accipe Vertumni signa paterna dei.
Tuscus ego et Tuscis orior, nec poenitet inter
  Proelia Volsanos deseruisse focos.
Haec me turba juvat; nec templo laetor eburno: 5
  Romanum satis est posse videre forum.

Hac quondam Tiberinus iter faciebat, et ajunt
  Remorum auditos per vada pulsa sonos.
At postquam ille suis tantum concessit alumnis,
  Vertumnus verso dicor ab amne deus. 10
Seu quia vertentis fructum praecerpimus anni,
  Vertumno rus se credidit esse sacrum.
Prima mihi variat liventibus uva racemis,
  Et coma lactenti spicea fruge tumet.
Hic dulces cerasos, hic autumnalia pruna 15
  Cernis et aestivo mora rubere die.
Insitor hic solvit pomosa vota corona,
  Cum pirus invito stipite mala tulit.
Mendax fama noces: alius mihi nominis index:
  De se narranti tu modo crede deo. 20
Opportuna mea est cunctis natura figuris.
  In quamcunque voles, verte: decorus ero.
Indue me Cois; fiam non dura puella;
  Atque virum sumpta quis neget esse toga?
Da falcem, et torto frontem mihi comprime foeno: 25
  Jurabis nostra gramina secta manu.
Arma tuli quondam, et, memini, laudabar in illis;
  Corbis in imposito pondere messor eram.
Sobrius ad lites: at cum est imposta corona,
  Clamabis capiti vina subisse meo. 30
Cinge caput mitra: speciem furabor Iacchi;
  Furabor Phoebi, si modo plectra dabis.
Cassibus impositis venor: sed arundine sumpta
  Faunus plumoso sum deus aucupio.
Suppetat hoc, pisces calamo praedabor, et ibo 35
  Mundus demissis institor in tunicis.
Pastor me ad baculum possum curvare, vel idem
  Sirpiculis medio pulvere ferre rosam.

Nam quid ego adjiciam, de quo mihi maxima fama est,
  Hortorum in manibus dona probata meis? 40
Caeruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre
  Me notat, et junco brassica vincta levi.
Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
  Impositus fronti langueat ante meae.
At mihi, quod formas unus vertebar in omnes, 45
  Nomen ab eventu patria lingua dedit.
Et tu, Roma, meis tribuisti praemia Tuscis,
  Unde hodie vicus nomina Tuscus habet,
Tempore quo sociis venit Lucumonius armis,
  Atque Sabina feri contudit arma Tati. 50
Vidi ego labentes acies, et tela caduca,
  Atque hostes turpi terga dedisse fugae.
Sed facias, divum sator, ut Romana per aevum
  Transeat ante meos turba togata pedes.
Stipes acernus eram, properanti falce dolatus, 55
  Ante Numam grata pauper in urbe deus.
At tibi, Mamuri, formae caelator ahenae,
  Tellus artifices ne terat Osca manus,
Qui me tot docilem potuisti fundere in usus.
  Unum opus: ast operi non datur unus honos. 60

11. Gron. *praecipimus;* Neap. *percepimus*. Mentelianus *praecepimus*. Carolus Fea correxit *praecerpimus*.

12. Codd. *Vertumni rursus credidit*. Passeratius legit *vulgus*. Perrejus *rursus creditur*, scilicet »fructus creditur«. Heinsius *rus se credidit*. *Rursus* certe mendosum. Scripsi: *Vertumno rus se credidit*.

19. *Alius index:* aliud est quod indicat originem nominis mei. Ovid. *ex Ponto* IV, 13: *unde saluteris, color hic tibi protinus index*. Sensus est: non dicor Vertumnus ab amore verso, nec quia praecerpo fructus anni vertentis; sed quia natura mea opportuna est cunctis figuris.

31. Ovid. *Her.* 15: *Sume fidem et pharetram; fies manifestus Apollo: Accedant capiti cornua: Bacchus eris.*

34. Codd. addunt distichum spurium:

Est etiam aurigae species Vertumnus, et ejus,
Trajicit alterno qui leve pondus equo.

Vertumnus in carmine ipse loquitur; interpolator narrat.

35. Codd. *suppetat hoc;* Heinsius et Marklandus malebant *suppetat hic* i. e. calamus.

37. Codd. *pastorem ad baculum possum curare.* Ayrmannus corruptam scripturam expolivit. Sic Ovidius *ex Ponto* I, 9: *Ipse velim baculo pascere nixus oves.*

38. Vulpius recte observat poetam de Circo loqui, ubi ludorum spectatoribus rosae aliique flores vendebantur. *Sirpiculis*, canistris vimineis.

39. Gron. *maxima cura est;* Neap. *maxima fama est.*

40. *Dona in manibus meis*, nempe horti (notat Jacobius), ejus manu seu artificio et cultu bene curati et laetos fructus ferentes.

42. *Me notat*, indicat quis sim.

46. *Ab eventu*, ab eo quod evenit aut accidit.

49. Codd. *Lycomedius.* Eruditi viri reposuerunt *Lucumonius.*

55. Codd. addunt:

Sex superant versus: te, qui ad vadimonia curris,
Non moror: haec spatiis ultima meta meis.

Interpolatum censeo inficetum distichum. Ovid. Am. III, 15: *Raditur hic elegis ultima meta meis.*

59. Codd. *me tam docilis.* Hertzbergius emendavit *me tot docilem.*

## III.

### DE HERCULIS MORTE.

(Codd. Burm. 9, IV: Lachm. 9, V.)

Amphitryonides qua tempestate juvencos
Egerat a stabulis, o Erythea, tuis,
Venit ad Invictus pecorosa Palatia montes,
Et statuit fessos fessus et ipse boves,
Qua Velabra suo stagnabant flumine, quaque 5
Nauta per urbanas velificabat aquas.

Sed non infido manserunt hospite Caco
  Incolumes: furto polluit ille Jovem.
Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro,
  Per tria partitos qui dabat ora focos. 10
Hic, ne certa forent manifestae signa rapinae,
  Aversos cauda traxit in antra boves,
Nec sine teste deo; furem sonuere juvenci;
  Furis et implacidas diruit ira fores.
Maenalio jacuit pulsus tria tempora ramo 15
  Cacus; et Alcides sic ait: Ite boves,
Herculis ite boves, nostrae labor ultime clavae,
  Bis mihi quaesitae, bis mea praeda, boves,
Arvaque mugitu sancite boaria longo:
  Nobile erit Romae pascua vestra forum. 20
Dixerat, et sicco torret sitis ora palato,
  Terraque non ullas fissa ministrat aquas.
Tum procul inclusas audit ridere puellas:
  Murus at umbroso sepserat orbe nemus,
Femineae loca clausa deae, fontesque piandos, 25
  Impune et nullis sacra retecta viris.
Devia puniceae velabant limina vittae;
  Putris odorato luxerat igne casa.
Populus et longis ornabat frondibus aedem,
  Multaque cantantes umbra tegebat aves. 30
Huc ruit in siccam congesto pulvere barbam,
  Et jacit ante fores verba minora deo:
„Vos precor, o luci sacro quae luditis antro,
  „Pandite defessis hospita fana viris.
„Fontis egens erro, circaque sonantia lymphis, 35
  „Et cava suscepto flumine palma sat est.
„Audistisne aliquem, tergo qui sustulit orbem?
  „Ille ego sum; Alciden terra recepta vocat.

„Quis facta Herculeae non audit fortia clavae
„Et nunquam ad natas irrita tela feras, 40
„Atque uni Stygias hominum luxisse tenebras?

. . . . . .

„Quodsi Junoni sacrum faceretis amarae,
„Non clausisset aquas ipsa noverca suas.
„Sin aliquam vultusque meus, setaeque leonis 45
„Terrent, et Libyco sole perusta coma;
„Idem ego Sidonia feci servilia palla
„Officia, et Lydo pensa diurna colo.
„Mollis et hirsutum cepit mihi fascia pectus,
„Et manibus duris apta puella fui." 50
Talibus Alcides: at talibus alma sacerdos
Puniceo canas stamine vincta comas:
„Parce oculis, hospes, lucoque abscede verendo:
„Cede agedum, et tuta limina linque fuga.
„Interdicta viris metuenda lege piatur, 55
„Quae se summota vindicat ara casa.
„Magno Tiresias adspexit Pallada vates,
„Fortia dum posita Gorgone membra lavat.
„Di tibi dent alios fontes; haec lympha puellis
„Avia secreti limitis una fluit." 60
Sic anus: ille humeris postes concussit opacos,
Nec tulit iratam janua clausa sitim.
At postquam exhausto jam flumine vicerat aestum,
Ponit vix siccis tristia jura labris:
„Angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem 65
„Accipit: haec fesso vix mihi terra patet.
„Maxima quae gregibus devota est ara repertis,
„Ara per has, inquit, Maxima facta manus,
„Haec nullis umquam pateat veneranda puellis,
„Herculis eximii ne sit inulta sitis." 70

Sancte pater salve, cui jam favet aspera Juno:
Sancte, velis libro dexter inesse meo.
Nunc quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
Sic Sanctum Tatii composuere Cures.

3. Gron. *venit et adductos;* Neap. *et advinctos;* Puccius et ed. Rheg. *venit ad invictus.* Hercules invictus. Propertius *comitem invicti* dixerat Hylam Lib. Tert. El. X, v. 23.

13. Deus (Juppiter) vidit scelus, et juvenci mugitu prodidere furem.

20. Broukhusius corrigebat *erunt;* sed *pascua* singulari numero usurpatur. Ovidius *Fast.* I, 246: *Tantaque res paucis pascua bobus erat.*

22. Gron. *terraque festa;* Neap. *faeta.* Scribo *fissa.* Ovid. Met. II: *Corripitur flammis, ut quaeque altissima, tellus: Fissaque agit rimas.*

24. Codd. *Lucus ab umbroso fecerat orbe nemus.* Si nemus tantum obstitisset, ingressus Herculi praeclusus non fuisset, nec *humeris postes* concussisset *opacos* v. 61. Praeterea *lucus fecerat nemus* quis diceret quisve ferret? Praeclare, mea sententia, Fonteinius conjecit: *Murus ubi umbrosum sepserat orbe nemus;* cujus vestigiis inhaerens reposui: *Murus at umbroso sepserat orbe nemus* In v. superiori scripsi *Tum* pro *Sed* Codd.

32. *Minora*, qualia Deum non decent. Ovidius, *Heroid.* 12: *Nunc animis audi verba* minora *meis.*

35. *Sonantia*, subintellige *loca.* Ovid. *Met.* V, 405; *Perque lacus altos et* olentia *sulfure fertur.*

40. Gron. *natas feras;* Neap. *vatas;* Vossianus II et IV: *novas;* Commelianus *vastas.* Feras *natas*, nova monstra nata atque ab Hercule prostrata.

42. Codd. *Accipite: haec fesso vix mihi terra patet.* Versus interpositus ad perficiendum distichum recurrit v. 66 ubi morienti optime convenit, hic vero ad rem non facit. Francius concinnavit ad ingenii exercitationem: *oraque tergemini conticuisse canis.*

45. Gron. *aliquam.* Neap. et Mentelianus *aliquem*

48. Codd. *Lydo colo;* Beroaldus et Puccius *Lyda colo.* Dubium tamen est, num colus tantum feminino genere usurpari possit. Catullus 64, 311: *Laeva colum molli lana retinebat amictum.*

57. Codd. *magnam Pallada.* Lipsius correxit *magno*, i. e. *magno pretio*, malo suo aspexit Palladem se lavantem.

60. Codd. *fuit;* Fruterius reposuit *fluit.*

64. *Ponit tristia jura*, interpretor: poenas expendit.

74. Gron. et Neap. *Tatiae Cures;* Mentelianus, Heinsianus et alii *Tatiae manus*: Scaliger emendavit *Tatii Cures.*

## IV.

### DE JOVE FERETRIO.

(Codd., Burm. 10, IV; Lachm. 10, V.)

Nunc Jovis incipiam causas aperire Feretri,
  Armaque de ducibus trina recepta tribus.
Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires:
  Non juvat ex facili lecta corona jugo.
Imbuis exemplum primae tu, Romule, palmae 5
  Hujus, et exuvio plenus ab hoste redis,
Tempore quo portas Caeninum Acronta petentem
  Victor in eversum cuspide fundis equum.
Acron Herculeus Caenina ductor ab arce,
  Roma, tuis quondam finibus horror erat. 10
Hic spolia ex humeris ausus sperare Quirini,
  Ipse dedit, sed non sanguine sicca suo.
Hunc videt ante cavas vibrantem spicula turres
  Romulus, et votis occupat ante ratis:
„Juppiter, haec hodie tibi victima corruet Acron." 15
  Voverat, et spolium corruit ille Jovi.
Urbis, virtutisque parens sic vincere suevit,
  Praetulit aprico frigida castra Lari.
Idem eques et frenis, idem fuit aptus aratris,
  Et galea hirsuta compta lupina juba. 20
Picta nec inducto fulgebat parma pyropo;
  Praebebant caesi baltea lenta boves.
Cossus at insequitur Vejentis caede Tolumni,
  Vincere cum Vejos posse laboris erat,
Nec dum ultra Tiberim belli sonus, ultima praeda 25
  Nomentum et captae jugera terna Corae.

O Veji veteres, et Volscum regna fuistis,
  Et vestro posita est aurea sella foro.
Nunc intra muros pastoris buccina lenti
  Cantat, et in vestris ossibus arva metunt. 30
Forte super portae dux Vejus adstitit arcem,
  Colloquiumque sua fretus ab urbe dedit.
Dumque aries murum cornu pulsabat aheno,
  Vinea qua ductum longa tegebat opus,
Cossus ait: „Forti melius concurrere campo." 35
  Nec mora fit; plano sistit uterque gradum.
Di Latias juvere manus: desecta Tolumni
  Cervix Romanos sanguine lavit equos.
Claudius a Rheno trajectos arcuit hostes,
  Belgica cum vasti parma relata ducis 40
Virdomari. Genus hic Rheno jactabat ab ipso,
  Nobilis e rectis fundere gaesa rotis:
Illi virgatis jaculanti ex agmine braccis
  Torquis ab incisa decidit unca gula.
Nunc spolia in templo tria condita: causa Feretri, 45
  Omine quod certo dux ferit ense ducem;
Seu quia victa suis humeris haec arma ferebant,
  Hinc Feretri dicta est ara superba Jovis.

18. Codd. *qui tulit.* Passeratius explicat: cum ei apricus lar, id est tepida domus esset in urbe, castra tamen frigida toleravit. Reposui *praetulit.*

26. Gron. et Neap. *jugera terra;* Puccius et Perrejus *jugera terna;* sic quoque Scaliger. Niebuhrius, ab Hertzbergio laudatus, docet pro triplici gentis Romanae stirpe in trinas jugerum centurias agros oppidorum captos divisos et assignatos fuisse.

27. Gron. *tum praeda;* Neap., Mentelianus et Vossianus *regna.* Lipsius e Codice Vaticano proponebat *et Volscum regna fuistis.* Optima lectio. Verum est, nullam apud Romanos scriptores regum Volscorum mentionem extare. Sed *regna* accipi possunt pro civitatibus in sua ditione constitutis. Rursus monebo Codd. in nominibus propriis claudicare: vocem vel corrumpunt, vel mutant.

31. Tolumnius fecit Cosso potestatem colloquendi, civium suorum praesidio confisus.

34. Gron. *vineaque inductum;* Neap. et Mentelianus *vinea qua ductum.*

38. Plutarchus in Romulo scribit Cossum et Marcellum spolia curru triumphali invexisse; hinc obtruncata Tolumni cervix *lavit equos* quadrigis junctos.

39. Codd. *a Rheno trajectos.* Gallos Gessatos a Rheno non arcuit Claudius, qui neque in Gallia Transalpina neque in Germania pugnavit, sed ad Clastidium cis Padum; neque illi *trajecerant Rhenum*, Insubrium auxilio adventantes; Galli enim erant, non Germani. Sic eruditi viri. Guyetus correxit *Eridano.* Rhenum tamen retinere possumus interpretando: hostes illi profecti a Rheno in Italiam se trajecerunt. Rhenus tam Gallorum quam Germanorum commune flumen habebatur.

41. A flumine Rheno natum se jactabat. Passeratius conjiciebat *a Brenno.*

42. Gron. et Neap. *nobilis e rectis;* Mentelianus *et rectis.* Solitus fundere jacula dum regit currum. Heinsius proposuit *e tectis*, vel *erectis*, vel *aeratis.*

43. Gron, *jaculantis ab agmine.* Puccius *jaculanti ex inguine;* Ed. Rheg. *ab inguine.* Si *jaculantis* retineas, *illi* pro *illius* dictum erit. Scripsi *Jaculanti* duci qui virgatis erat braccis, et jaculabat ab acie, torquis decidit a collo inciso.

46. Causa est quod Feretri Jovis omine dux ferit ducem inimicum certo ense. *Certo ense* ut in Propertii El. XXI, v. 15 Lib. Sec.: *si certo puer hic concusserit arcu.*

## V.

### TARPEJA.

(Codd. Burm. 4, IV; Lachm. 4, V.)

Tarpejum nemus et Tarpejae turpe sepulcrum
  Fabor et antiqui limina capta Jovis.
Lucus erat felix hederoso cominus antro,
  Multaque nativis obstrepit arbor aquis;
Silvani ramosa domus, quo dulcis ab aestu 5
  Fistula poturas ire jubebat oves.
Hunc Tatius fontem vallo praecingit acerno,
  Fidaque suggesta castra coronat humo.

Quid tum Roma fuit, tubicen vicina Curetis
  Cum quateret lento murmure saxa Jovis, 10
Atque ubi nunc terris dicuntur jura subactis,
  Stabant Romano pila Sabina foro?
Murus erant montes: ubi nunc est Curia septa,
  Bellicus ex illo fonte bibebat equus.
Hinc Tarpeja (deae fontem libarat: at illi 15
  Urgebat medium fictilis urna caput)
Vidit arenosis Tatium proludere campis,
  Pictaque per flavas arma levare jubas.
Obstupuit regis facie et regalibus armis,
  Interque oblitas excidit urna manus. 20
Saepe inde immeritae causata est omina Lunae,
  Et sibi tinguendas dixit in amne comas.
Saepe tulit blandis argentea lilia Nymphis,
  Romula ne faciem laederet hasta Tati.
Dumque subit primo Capitolia nubila fumo, 25
  Retulit hirsutis brachia secta rubis,
Et sua Tarpeja residens ita flevit ab arce
  Vulnera, vicino non patienda Jovi:
„ Ignes castrorum, et Tatiae praetoria turmae,
  „ Et formosa oculis arma Sabina meis, 30
„ O utinam ad vestros sedeam captiva Penates,
  „ Dum captiva mei conspicer esse Tati.
„ Romani montes, et montibus addita Roma,
  „ Et valeat probro Vesta pudenda meo.
„ Ille equus, ille meos in castra reponet amores, 35
  „ Cui Tatius dextras collocat ipse jubas.
„ Quid mirum in patrios Scyllam saevisse capillos
  „ Candidaque in saevos inguina versa canes?
„ Prodita quid mirum fraterni cornua monstri,
  „ Cum patuit lecto stamine torta via? 40

„ Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis,
„ Improba virgineo lecta ministra foco!
„ Palladis extinctos si quis mirabitur ignes,
„ Ignoscat: lacrimis spargitur ara meis.
„ Cras, ut rumor ait, tota pugnabitur urbe: 45
„ Tu cape spinosi rorida terga jugi.
„ Lubrica tota via est et perfida; quippe tacentes
„ Fallaci celat limite semper aquas.
„ O utinam magicae nossem cantamina Musae!
„ Haec quoque formoso lingua tulisset opem. 50
„ Te toga picta decet, non quem sine matris honore
„ Nutrit inhumanae dura papilla lupae.
„ Sim conjux, patiarque tua regina sub aula!
„ Dos tibi non humilis prodita Roma venit.
„ Sin minus, at, raptae ne sint impune Sabinae: 55
„ Me rape et alterna lege rependе vices.
„ Commissas acies ego possum solvere; nuptae,
„ Vos medium palla foedus inite mea.
„ Adde Hymenaee modos; tubicen fera murmura conde:
„ Credite, vestra meus molliet arma torus. 60
„ At jam quarta canit venturam buccina lucem;
„ Ipsa in Oceanum sidera lapsa cadunt.
„ Experiar somnum: de te mihi somnia quaeram;
„ Fac venias oculis umbra benigna meis."
Dixit, et incerto permisit brachia somno, 65
Nescia se furiis accubuisse novis.
Nam Vesta, Iliacae felix tutela favillae,
Culpam alit, et plures condit in ossa faces.
Urbi festus erat: dixere Palilia patres:
Hic primus coepit moenibus esse dies. 70
Annua pastorum convivia, lusus in urbe,
Cum pagana madent fercula deliciis,

Cumque super raros foeni flammantis acervos
  Trajicit immundos ebria turba pedes.
Romulus excubias decrevit in otia solvi, 75
  Atque intermissa castra silere tuba.
Hoc Tarpeja suum tempus rata, convenit hostem;
  Pacta ligat, pactis ipsa futura comes.
Mons erat ascensus, dapibus festoque remissus:
  Nec mora, vocales occupat ense canes. 80
Omnia praebebant somnos: sed Juppiter unus
  Decrevit poenis invigilare suis.
Illa ruit, qualis celerem prope Thermodonta
  Strymonis abscisso pectus aperta sinu:
Prodiderat portaeque fidem, patriamque jacentem; 85
  Nubendique petit, quem velit ipse, diem.
At Tatius (neque enim sceleri dedit hostis honorem)
  „Nube, (ait,) et regni scande cubile mei."
Dixit, et ingestis comitum superobruit armis.
  Haec, virgo, officiis dos erat apta tuis. 90
A nece Tarpejae mons est cognomen adeptus
  O virgo, injustae praemia sortis habes.

3. Gron. et Neap. *conditus antro;* duo Vaticani et Colotianus *consitus*. At quid sibi vult „lucus conditus vel consitus in antro vel apud antrum"? Repono *cominus*.

15. Interpunctionem mutavi, ut *Tarpeja* sit subjectum verbi *vidit* distichi subsequentis. *Libavit* Codd.: a Fonteinio, nisi memoria me fallit, recepi *libarat*.

16. Hic Codd. addunt:

Et satis una malae potuit mors esse puellae,
Quae voluit flammas fallere, Vesta, tuas?

Broukhusius et Burmannus distichum, quod orationem truncat, ante ultimum carminis transtulerunt. „Sed, inquit Lachmannus, quocumque loco reponatur, prava sententia est, sive Tarpejae judicio seu suo huic sceleratae puellae unam mortem satis fuisse neget." Spurium judico.

21. Codd. *Saepe illa*. Fonteinius correxit: *saepe inde*. *Omina Lunae*, somnia.

24. *Romula* pro Romulea.

25. *Primo nubila fumo.* Nebula matutina, an vespertina? an fumus qui e tectis surgit? Contra doctorum virorum sententiam (Heinsii, Lachmannii etc.) intelligo fumum tectorum. Movet, praeter Virgilianum *Et jam summa procul villarum culmina fumant* (*Ecl.* I, 83), Tarpejae descriptio quae ab arce spectat salutatque *ignes castrorum.* Vespere ignes in castris incenduntur; diluculo extinguuntur.

32. Gron. *conspicer arma;* Neap. *conspicer esse.* Gronovius correxit *conspicer ora.* Neapolitanam lectionem retinui. Suadent v. 59: *Adde Hymenaee modos*, 86: *nubendique petit* et 88: *Nube* etc.

46. Codd. *Tu cape.* Critici emendaverunt *Tu cave;* sed *cape* vera scriptura est. Cras, dum tota civitas pugnabit, *tu cape terga jugi spinosi.* Lubrica, difficilis, heu scio! est via quam tibi indico; o utinam opem tibi ferre possem magicis artibus et cantibus! etc.

53. Gron. et Neap. *Sic hospes . . . pariamne*, Vossianus I *patriamne.* Vaticanus II et Perrejus *Si conjux, pariamve.* D'Orvillianus *patiar.* Rhegius et Burmannianus *patiare.* Mentelianus *peream.* Colotianus *spatiare.* Lectionum varietas contaminationis indicium prae se fert. Reposui: *Sim conjux, patiarque tua regina sub aula.*

61. Codd. *Et jam.* Scripsi cum Fonteinio *At jam*, sententia postulante.

74. Gron. et Neap. *immundas dapes;* Vaticanus I et Colotianus *immundos pedes.*

79. Codd. *mons erat ascensu dubius.* Jacobius recte observat montis naturam jam descriptam fuisse, et dicendum esse *dubius sed remissus*, non *dubius et remissus.* Emendationem ejus in contextu recepi.

81. Omnia suadebant somnos, nox, dapes, dies festo exactus etc.

82. Gron. et Neap. *poenis tuis.* Leidensis II: *suis*, quod praefero.

84. Codd. *abscisso fertur sinu.* Broukhusius emendaverat *abscissos sinus;* Heimreichius *abscisso pectus aperta sinu.* Ovid. *Her.* 15 *eram lacera pectus aperta sinu;* Tibullus, I, 6: *Neve cubet laxo pectus aperta sinu.*

86. Codd. *quem velit ipsa;* Heinsius correxit *ipse.*

91. Codd. *a duce Tarpejo.* Festus docet montem non a Spurio Tarpejo, virginis patre, sed a Tarpeja dictum fuisse. Andreas Bassanus duabus epistolis ad Vulpium scriptis emendandum censuit *A nece Tarpejae.*

92. Codd. *O vigil.* Guyetus et Heinsius reposuerunt *O virgo*, o Tarpeja, sors tibi dedit praemium immeritum: nomine enim tuo mons appellatur. — Sunt qui distichum interpolatum credant.

# VI.

## DE PUGNA ACTIACA.

(Codd., Burm. 6, IV; Lachm. 6, V.)

Veteres editiones primos decem versus a reliquis sejungunt, iisque titulum adponunt *De sacrificio*. Lacuna sane inter 10 et 11 versum est; altera pariter apparet post v. 68. Fieri tamen potest, ut poeta, Ovidii *Fastos* imitatus, ab uno ad alterum episodium transeat, artificio quod nobis nunc, deperditis aliis *Dierum* partibus, parum elucet. Transversa lineola transitiones notavi.

Sacra facit vates; sint ora faventia sacris;
  Et cadat ante meos icta juvenca focos.
Serta Philetaeis certent Romana corymbis,
  Et Cyrenaeas urna ministret aquas.
Costum molle date et blandi mihi turis honores, 5
  Terque focum circa laneus orbis eat.
Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris
  Tibia Mygdoniis libet eburna cadis.
Ite procul fraudes; alio sint aere noxae:
  Pura novum vati laurea mollit iter. 10

---

Musa, Palatini referemus Apollinis aedem:
  Res est, Calliope, digna favore tuo.
Caesaris in nomen ducuntur carmina; Caesar
  Dum canitur, quaeso, Juppiter, ipse vaces.
Est Phoebi fugiens Athamana ad littora portus 15
  Qua sinus Ionia murmura condit aquae,
— Actia Iuleae pelagus monumenta carinae —
  Nautarum votis nunc operosa via.
Huc mundi coïere manus; stetit aequore moles
  Pinea, nec remis aequa favebat avis. 20

Altera classis erat Teucro damnata Quirino,
  Pilaque feminea turpiter acta manu:
Hinc Augusta ratis plenis Jovis omine velis,
  Signaque jam patriae vincere docta suae.
Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus, 25
  Armorum radiis picta tremebat aqua:
Cum Phoebus, linquens stantem se vindice Delon,
  (Nam tulit iratos mobilis ante Notos)
Adstitit Augusti puppim super, et nova flamma
  Luxit in obliquam ter sinuata facem. 30
Non ille attulerat crines in colla solutos,
  Aut testudineae carmen inerme lyrae:
Sed quali adspexit Pelopeum Agamemnona vultu,
  Egessitque avidis Dorica castra rogis,
Aut qualis flexos solvit Pythona per orbes 35
  Serpentem, imbelles quem timuere lyrae.
Mox ait: „O longa mundi servator ab Alba
  „Auguste, Hectoreis cognite major avis,
„Vince mari; jam terra tua est; tibi militat arcus,
  „Et favet ex humeris hoc onus omne meis. 40
„Solve metu patriam, quae nunc te vindice freta
  „Imposuit prorae publica vota tuae.
„Quam nisi defendes, murorum Romulus augur
  „Ire Palatinas non bene vidit aves.
„En nimium remis audent! pro turpe Latinos, 45
  „Principe te, fluctus regia vela pati!
„Nec te, quod classis centenis remiget alis,
  „Terreat: invito labitur illa mari.
„Quotque vehunt prorae Centaurica saxa minantes:
  „Tigna cava et pictos experiere metus. 50
„Frangit, et attollit vires in milite causa;
  „Quae nisi justa subest, excutit arma pudor.

„Tempus adest: committe rates. ego temporis auctor
„Ducam laurigera Julia rostra manu."
Dixerat, et pharetrae pondus consumit in arcus; 55
Proxima post arcus Caesaris hasta fuit.
Vincit Roma fide Phoebi; dat femina poenas;
Sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas.
At pater Idalio miratus Caesar ab astro:
„Tu deus: est nostri sanguinis ista fides!" 60
Prosequitur cantu Triton, omnesque marinae
Plauserunt circa libera signa deae.
Illa petit Nilum cymba male nixa fugaci,
Hoc unum, jusso non moritura die.
Di melius! quantus mulier foret una triumphus, 65
Ductus erat per quas ante Jugurtha vias!
Actius hinc traxit Phoebus monumenta, quod ejus
Una decem vicit missa sagitta rates.

---

Bella satis cecini; citharam jam poscit Apollo
Victor, et ad placidos exuit arma choros. 70
Candida nunc molli subeant convivia lusu,
Blanditiaeque fluant per mea colla rosae,
Vinaque fundantur praelis elisa Falernis,
Terque lavet nostras spica Cilissa comas.
Ingenium potis irritat Musa poetis: 75
Bacche, soles Phoebo fertilis esse tuo.
Ille paludosos memoret servire Sicambros;
Cepheam hic Meroën fuscaque regna canat.
Hic referat sero confessum foedere Parthum;
Reddat signa Remi, mox dabit ipse sua. 80
Sive aliquid pharetris Augustus parcet Eois,
Differat in pueros iste tropaea suos.

Gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter arenas;
Ire per Euphraten ad tua busta licet.
Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec 85
Injiciat radios in mea vina dies.

3. Codd. *Cera Philippaeis*. Beroaldus correxit *Philetaeis*, Scaliger *serta*, primo casu, numero singulari. Serta de floribus fit, corona de frondibus, notat vetus Scholiasta Lucani. Propertius El. XXIII v. 17 Lib. Sec.: *Cum tua praependent demissae inter pocula sertae.*

8. Codd. *Mygdoniis Cadis*, hoc esset tibia Phrygia, quia Mygdones et Phryges vicini, et Cadi erant populi Mygdoniae. Beroaldus contra vinum Apollini libatum intelligit in cadis Mygdoniis. Puccius et Perrejus pro *Cadis* dant *modis;* quod Hertzbergius, pedem supplodens, acerbe increpat, quia, inquit, »hic ipsae tibiae *cadi* Mygdonii id est Phrygii dicuntur, *ex quibus carmen quasi merum* in aras funditur.« *Cadis* retineo, sed interpretor: Poeta (tibia eburna) ad aras recentes carmen Diis cantet, consacret, et vinum libet in Phrygiis cadis.

14. Dum Caesar canitur, ipse Juppiter patiaris tuas laudes sileri.

15—18. Ancipitem et retortum locum, nondum recte meo sensu expositum, sic interpretor: hic portus Phoebi, qui se subtrahit ad litora Epirotica, ubi sinus condit murmura aquae Ioniae (quae sunt monumentum victoriae Actiacae a Caesare partae) hic portus nunc est tutus; via frequens nautis est; ibi multum operis navigationi impenditur. At *mundi coiere manus* in hoc pelagus. Reposui *nunc* pro *non operosa.* Ovidius *Met.* XV, 666: *Incerti quid agant proceres ad templa petiti Conveniunt* operosa *Dei.* Plinius L. 20, cap. 5: *Syria in hortis operosissima*, i. e. hortos maxime excolens.

20. *Aequa*, non aeque favebat utramque classem.

21. *Teucro Quirino;* i. e. Romulo. Puccius, Volscus, Beroaldus male correxerunt *tenero Quirino*, mollem Antonium cogitantes.

27. Insula Deli errans per mare Aegeum (mobilis) ab Apolline stabilis facta (stantem se vindice).

29, 30. Virgilius Caesarem describit (Aen. VIII, 680) *stans celsa in puppi, geminas cui tempora flammas Laeta vomunt patriumque aperitur vertice sidus.* Hinc Heimreichius distichum pseudopropertianum interpretatur: geminae flammae circa Caesaris tempora luxerunt, in vertice tertia.

43. Noli cum Bentlejo atque Lachmanno reponere *murorum auctor.* Romulus *murorum augur,* quia tum *ire Palatinas non bene vidit aves.*

45. Gron. et Neap. *et nimium;* Puccius vero et Vaticanus II *en nimium.*

Codd. *latinis* relatum ad *remis*. Egregie Marklandus correxit *latinos*, i. e. *fluctus* sequentis versus: Latinos fluctus, proh pudor! te principe pati vela regia!

49. Codd. *Quodque*. Repono *Quotque*, id est omnia illa Centaurica saxa prorae minantis, experieris esse ligna et figuras pictas.

56. Hasta Caesaris proxima fuit post Phoebi arcum. Assentationis auspicatissima locutio; neque feliciter emendarunt viri docti *furit* pro *fuit*.

59. Codd. *miratur;* Muretus reposuit *miratus*.

60. Codd. *Sum Deus*. Lachmannus jure ineptam vocat hanc Jovis affirmationem, proponitque *Tum Deus*. Emendavi: *Tu Deus: est nostri sanguinis ista fides*. Juppiter ipse Caesaris divinitatem adfirmat, pugna Actiaca exardescente, divina virtute praeliantis perspecta. Post haec quid mirum, si populi victori et domino templa dicavere? — Gron. *et nostri:* Neap. *est* cum Leidensi et Vossiano. In vulg. edd. *en nostri*.

64. *Hoc unum*, subintellige *adepta*, *consecuta*.

65. Ingeniosum quoque adulationis magisterium; nam notum est Augustum vehementer concupivisse pulcherrima Nili regina triumphum suum ornare. Sed Horatius verius et melius *Carm.* XXXVII: *Saevis Liburnis scilicet invidens Privata ded..ci superbo Non humilis mulier triumpho*.

71. Codd. *luco*. Sed nullo modo nemus cum praecedentibus cohaeret. Fonteinius conjecit *ludo;* reposui *lusu*.

72. Rosae, blanditiae meae, fluant etc. Scaliger correxerat *Blanditaeque;* Lachmannus *Blandae utrimque*.

75. Codd. *ingenium positis;* Puccius *ingenium potis*.

77. Augustus de Sicambris triumphavit anno u. c. DCCXXIX. Carmen igitur post hunc annum scriptum fuit, quum forte Propertius jam obisset diem supremum.

79. *Confessum Parthum*, se victum fatentem.

82. Credo poetam ad Tiberium et Drusum respicere, qui an. DCCXXXIX bella Alpina gesserant; ad Tiberium praecipue qui tunc temporis jam feliciter arma tulerat in Armenios.

# ASTROLOGUS.

## ELEGIA QUAE PROPERTIO TRIBUITUR.

---

(Codd. Burm. I, IV; Lachm. I, V.)

Codd. conglutinant hanc cum fragmento poematis *Dierum*, DE URBE ROMA, eique praefigunt duo disticha, de quibus satis in disquisitione praemissa disputavi:

Quo ruis imprudens, vage, dicere facta, Properti?
Non sunt a dextra condita fila colo.
Aversis lacrimis cantus: aversus Apollo:
Poscis ab invita verba pigenda lyra.

Pro *facta* Groningani Neap. *fata*, Perrejus et Puccius *sacra*, Mentelianus *verba*. Pro *aversis lacrimis cantus*, Neap. *accersis lacrimas cantas*, Heinsius reposuit *aversis charisin cantas*. — Elegiam Sabino adscribendam esse conjicio, argumentis motus in dissertatione prolatis.

Me creat Archytae soboles Babylonius Horops,
Horon, et a proavo ducta Conone domus.
Dî mihi sunt testes non degenerasse propinquos,
Inque meis libris nil prius esse fide.
Certa feram certis auctoribus: haud ego vates 5
Nescius aerata signa movere pila.
Nunc pretium fecere deos (et fallitur auro
Juppiter) obliquae signa iterata rotae.
Dixi ego quum geminos produceret Arria natos
(Illa dabat natis arma vetante deo), 10
Non posse ad patrios sua pila referre penates:
Nempe meam firmant nunc duo busta fidem.

Quippe Lupercus, equi dum saucia protegit ora,
  Heu sibi prolapso non bene cavit equo;
Gallus at, in castris dum credita signa tuetur, 15
  Concidit ante aquilae signa cruenta suae.
Fatales pueri, duo funera matris avarae
  Vera, sed invito contigit ista fides.
Idem ego, cum Cinarae traheret Lucina dolores
  Et facerent uteri pondera lenta moram, 20
Junonis votum facite impetrabile, dixi:
  Illa parit: libris est data palma meis.
Hoc neque arenosum Libyae Iovis explicat antrum,
  Aut sibi commissos fibra locuta deos,
Aut si quis motas cornicis senserit alas: 25
  Umbra neque haec magicis mortua prodit aquis.
Adspicienda via est caeli, versusque per astra
  Trames, et ab zonis quinque petenda fides.
Quid moveant Pisces animosaque signa Leonis,
  Lotus et Hesperia quid Capricornus aqua, 30
Felicesque Iovis stellae, Martisque rapacis,
  Et grave Saturni sidus in omne caput.
Exemplum grave erit Calchas: namque Aulide solvit
  Ille bene haerentes ad pia saxa rates.
Idem Agamemnoniae ferrum cervice puellae 35
  Tinxit, et Atrides vela cruenta dedit.
Nec rediere tamen Danai: tu diruta fletum
  Supprime, et Euboicos respice, Troja, sinus.
Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes,
  Et natat exuviis Graecia pressa tuis. 40
Victor Oïliade, rape nunc et dilige vatem,
  Quam vetat avelli veste Minerva sua.
Hactenus historiae: nunc ad tua devehor astra:
  Incipe tu lacrimis aequus adesse novis.

Umbria te notis antiqua penatibus edit..... 45
(Mentior? an patriae tangitur ora tuae?)
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo,
Et lacus aestivis intepet Umber aquis,
Scandentisque arcis consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo. 50
Ossaque legisti non illa aetate legenda
Patris, et in tenues cogeris ipse Lares:
Nam tua cum multi versarent rura juvenci,
Abstulit excultas pertica tristis opes.
Mox ubi bulla rudi demissa est aurea collo, 55
Matris et ante deos libera sumpta toga,
Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
Et vetat insano verba tonare foro.
At tu finge elegos, fallax opus; haec tua castra!
Scribat ut exemplo cetera turba tuo. 60
Militiam Veneris blandis patiere sub armis,
Et Veneris pueris utilis hostis eris.
Nam tibi victrices, quascumque labore parasti,
Eludet palmas una puella tuas.
Et bene cum fixum mento discusseris uncum, 65
Nil erit hoc: rostro te premet ansa suo.
Illius arbitrio noctem lucemque videbis:
Gutta quoque ex oculis non nisi jussa cadet.
Nec mille excubiae, nec te signata juvabunt
Limina: persuasae fallere rima sat est. 70
Nunc tua vel mediis puppis luctetur in undis,
Vel licet armatis hostis inermis eas,
Vel tremefacta cavo tellus diducat hiatum,
Octipedis Cancri terga sinistra time.

2. Codd. *Horon;* edd. vulg. *Horops.*
8. Amplector interpunctionem et interpretationem S. G. Schippersü: »nunc

signa iterata obliquae rotae (Zodiaci) fecerunt pretium deos; immo ipse Juppiter auro fallitur » id est Astrologi deos et Jovem ipsum loquentes pecunia accepta inducunt ad consulentium libidinem.

16. Gron. *aquilae signa;* Neap. *aquilae rostra.* Astrologus repetit *signa*, uti prius repetiverat *equo.*

27. *Verusque* Gron. et Neap. *Versusque* ed. Rheg. Ad Zodiacum respicit.

30. Codd. addunt hos versus:

Dicam: Troja, cades; et Troica Roma, resurges;
Et maris et terrae longa sepulcra canam.

qui nullam habent cum caeteris connexionem. Credendum foret e fragmento *de Urbe Roma* huc irrepsisse; at centones sunt: Ovidius *Fast.* I, 523: *Victa tamen vinces, eversaque Troja resurges* — Propertius Lib. Sec. El. XVI, v. 12: *Et maris et terrae longa pericla viae.* Cod. Heinsianus dat *pericla* pro *sepulcra.*

49. Codd. *Asis*, *Axis*, et *Assis*, unde *Assisi* a recentioribus factum fuit. Sed cum Cantero repono *arcis*, collato v. 65 eleg. *de Urbe Roma*: *Scandentes si quis cernet de vallibus arces.*

65. Codd. *confisum.* Domitius Calderinus correxit *cum fixum.* Ita quoque Puccius.

66. Codd. *nostro.* Calderinus et Puccius reposuerunt *rostro.* » Quo magis te Amoris vinculis expedire conaberis, eo artius implicaberis. Sontium autem gulae, gutturi, mento impingebantur unci a carnefice, ut traherentur in carcerem vel in Gemonias scalas. » Sic Passeratius.

73. Gron. *cavo hiatu;* Gron. Neap. et ed. Rheg. *cavo hiatum.* Perrejus *cavum hiatum.* Terra, tremefacta in occultis cavis suis, in imis suis partibus diducat, efficiat hiatum.

# EPISTOLA ARETHUSAE

## QUAE PROPERTIO TRIBUITUR.

---

### ARETHUSA AD LYCOTAM.

(Codd., Burm. 3, IV; Lachm. 3, V.)

Hanc quoque epistolam, *Heroidas* Ovidianas imitantem, Sabino asserendam existimo. E Lib. Tert. *Cynthiae* derivata videtur, mutatis nominibus Lycotae in Postumum, Aeliae Gallae in Arethusam.

Haec Arethusa suo mittit mandata Lycotae,
  Cum toties absis, si potes esse meus.
Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,
  Haec erit e lacrimis facta litura meis;
Aut si qua incerto fallet te littera tractu, 5
  Signa meae dextrae jam morientis erunt.
Te modo viderunt iteratas Bactra per oras,
  Te modo munito Sericus hostis equo:
Haecne marita fides? hae pactae inter savia noctes,
  Cum rudis urgenti brachia victa dedi? 10
Quae mihi deductae fax omen praetulit, illa
  Traxit ab everso lumina nigra rogo;
Et Stygio sum sparsa lacu, nec recta capillis
  Vitta data est: nupsi non comitante deo.
Omnis heu portis pendent mea noxia vota; 15
  Texitur haec castris quarta lacerna tuis.
Occidat, immerita qui carpsit ab arbore vallum,
  Et struxit querulas rauca per ossa tubas,

Dignior, obliquo funem qui torqueat Ocno,
  Aeternusque tuam pascat, aselle, famem. 20
Dic mihi: num teneros urit lorica lacertos?
  Num gravis imbelles atterit hasta manus?
Haec noceant potius, quam dentibus ulla puella
  Det mihi plorandas per tua colla notas.
Diceris et macie vultum tenuasse; sed opto, 25
  E desiderio sit color iste meo.
At mihi cum noctes induxit Vesper amaras,
  Si quae relicta jacent, osculor arma tua.
Tum queror in toto non sidere pallia lecto,
  Lucis et auctores non dare carmen aves. 30
Noctibus hibernis castrensia pensa laboro,
  Et Tyria in radios vellera secta suos.
Et disco, qua parte fluat vincendus Araxes,
  Quot sine aqua Parthus milia currat equus;
Conor et e tabula pictos ediscere mundos, 35
  Qualis et haec docti sit positura dei;
Quae tellus sit lenta gelu, quae putris ab aestu,
  Ventus in Italiam qui bene vela ferat.
Adsidet una soror, curis et pallida nutrix
  Pejerat hiberni temporis esse moras. 40
Felix Hippolyte! nuda tulit arma papilla,
  Et texit galea barbara molle caput.
Romanis utinam patuissent castra puellis!
  Essem militiae sarcina fida tuae;
Nec me tardarent Scythiae juga, cum parat altas 45
  Arctus et in glaciem frigore nectit aquas.
Omnis amor magnus; sed adempto in conjuge major:
  Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem.
Nam mihi quo, Poenis si purpura fulgeat ostris,
  Crystallusque meas ornet aquosa manus? 50

Omnia surda tacent, rarisque assueta Kalendis
  Vix aperit clausos una puella Lares.
Glaucidos et catulae vox est mihi grata querentis:
  Illa tui partem vindicat una tori.
Flore sacella tego, verbenis compita velo, 55
  Et crepat ad veteres herba Sabina focos.
Sive in finitimo gemuit stans noctua tigno,
  Seu voluit tangi parca lucerna mero,
Illa dies hornis caedem denuntiat agnis,
  Succinctique calent ad nova lucra popae. 60
Ne, precor, ascensis tanti sit gloria Bactris,
  Raptave odorato carbasa lina duci,
Plumbea cum tortae sparguntur pondera fundae,
  Subdolus et versis increpat arcus equis.
Sed (tua sic domitis Parthae telluris alumnis 65
  Pura triumphantes hasta sequatur equos)
Incorrupta mei conserva foedera lecti:
  Hac ego te sola lege redisse velim.
Armaque cum tulero portae votiva Capenae,
  Subscribam: *Salvo grata puella viro.* 70

7. Cod. Neap. omittit *Bactra per ortus*, quod in ceteris legitur. *Ortus iteratos* pro regionibus orientalibus terque quaterque peragratis interpretes accipiunt; non declarant tamen quomodo *ortus* talia significare possit. Repono *iteratas Bactra per oras.*

8. Gron. *Euricus hostis;* Neap. *Hericus*, alii *Noricus*, *Rhaetius.* Puccius et Beroaldus *Sericus.* — Deinde Codd. addunt distichum adscititium:

Hibernique Getae pictoque Britannia curru
Vetus et Eoa discolor Indus aqua.

In Orientis regionibus Lycotas bellum gerebat; eum igitur non videbat Britannia. Neque Augustus arma tulit in Indos.

9. Gron. *et pactae mihi noctes;* Neap. *et parce avia noctes;* e quibus literis sensu carentibus Hauptius felicem emendationem concinnavit: *et pactae in savia noctes.*

26. Gron. et Neap. *color iste;* edd. vulg. *color ille.*

32. Gron. et Neap. *in gladios;* Codd. Vaticani et Perrejus *in radios.* Codd. *vellera secta;* Perrejus *vellera texta.* Vellera secta, i. e. divisa, separata.

34. Codd. *currat equus.* Scaliger et Livinejus malebant *currat eques.*

35. Codd. *cogor;* Broukhusius emendavit *conor.*

40. Codd. *Pejerat;* edd. vulg. *Dejerat* cum Livinejo. Ancilla verum non nescit, tamen me jurando fallit *hiberni temporis esse* tuas *moras.*

45. Gron. *cum parat altas Africus;* Neap. *cum pater.* Puccius, Perrejus *pater Atlas Africus.* Pater *Africus* pro Septentrione usurpari nequit, nam Africus ab Africa spirans vim congelandi non habet. Eldikius conjecerat: *quum Pater* (Juppiter) *alta Adstrictas glacie frigore nectit aquas.* Lachmannus *cum Pater altas Arctoo in glaciem frigore nectit aquas*, pro Jove *patrem* et ipse intelligens. Ego Groninganum sequens repono: *cum parat altas Arctus et in glaciem* etc.

47. Codd. *aperto in conjuge;* vitiose. Burmannus conjecit *deserta in conjuge;* Lachmannus *rapto conjuge.* Forsitan *adempto* erit probabile. Ovid. *ex Ponto* I, 9, 41: *Jure igitur lacrimas Celso libamus adempto.*

49. Gron. *Poenis tibi;* Neap. *Poenis te.* Heinsius correxit *si.*

50. Gron. *tuas manus;* recte Neap. *meas manus.*

51. Versus subobscurus, ante Hertzbergium non illustratus, qui exponit: „Ad tristitiam domus significandam Lares non a tota, ut moris erat, turba vernarum, sed ab una puella, cujus proprium illud munus erat, apertos et comptos esse ait, sed cunctanter et vix semel in mense, idque solis Kalendis. Nam magis religiosos praeter Kalendas Idibus quoque et Nonis sacra Laribus fecisse M. Cato testatur . . . Rarae Calendae dicuntur, non quia rariores sint caeteris diebus menstruis, sed quia, quod his tantum diebus fit . . . raro id fieri consentiendum est.“ Martialis IV, 66: *Idibus et raris togula est tibi sumpta Calendis.*

53. *Glaucidos* (in Codd. *Graucidos*) nomen catulae a glaucis seu caesiis ejus oculis.

58. Noctuae cantus malum omen, bonum lucernae crepitus; quapropter merum infundebant, praesertim ut sternutaret. V. Ovid. Ep. ex Pont. XIX.

60. Codd. *succinctaque;* Pontanus, Puccius, Perrejus *succinctique*, quos non praecedit, uti scripsit Lachmannus, sed secutus est Muretus. — Codd. *ad nova lucra;* Puccius *sacra.* Lucro popas ne fraudemus.

# ELEGIAE

## QUAE PROPERTII NOMINE FERUNTUR.

---

### I.

#### IN LENAM.

(Codd., Burm. 5, IV; Lachm. 5, V.)

Terra tuum spinis obducat, lena, sepulcrum,
  Et tua, quod non vis, sentiat umbra sitim;
Nec sedeant cineri Manes, et Cerberus ultor
  Turpia jejuno terreat ossa sono;
Docta vel Hippolytum Veneri mollire negantem, 5
  Concordique toro pessima semper avis.
Penelopen quoque, neglecto rumore maritae,
  Nubere lascivo cogeret Antinoo.
Illa velit, poterit magnes non ducere ferrum,
  Et volucris nidis esse noverca suis; 10
Quippe ut Collinas ad fossam noverit herbas,
  Stantia currenti diluerentur aqua:
Audax cantatae leges imponere Lunae,
  Et sua nocturno fallere terga lupo.
Possit ut intentos astu caecare maritos, 15
  Cornicum immeritas eruit ungue genas,
Consuluitque striges nostro de sanguine, et in me
  Hippomanes foetae semina legit equae.

Exorabat opus verbis seu blanda perurat,
  Saxosamve terat sedula culpa viam: 20
„Si te Eoa Dorozantum juvat aurea ripa,
  „Et quae sub Tyria concha superbit aqua,
„Eurypylique placet Coae textura Minervae,
  „Sectaque ab Attalicis putria signa toris,
„Seu quae palmiferae mittunt venalia Thebae, 25
  „Murrheaque in Parthis pocula cocta focis:
„Sperne fidem, provolve deos, mendacia vincant,
  „Frange et damnosae jura pudicitiae.
„Et simulare virum pretium facit; utere causis:
  „Major dilata nocte recurret amor. 30
„Si tibi forte comas vexaverit utilis ira,
  „Post modo mercata pace premendus erit.
„Denique ubi amplexu Venerem promiseris empto,
  „Fac simules puros Isidis esse dies;
„Ingerat Apriles Iöle tibi, tundat Amycle, 35
  „Natalem Majis Idibus esse tuum.
„Supplex ille sedet: posita tu scribe cathedra
  „Quidlibet: has artes si pavet ille, tenes.
„Semper habe morsus circa tua colla recentes,
  „Litibus alternis quos putet esse datos. 40
„Nec te Medeae delectent probra sequacis;
  „Nempe tulit fastus ausa rogare prior:
„Sed potius mundi Thais pretiosa Menandri,
  „Cum ferit astutos comica moecha Getas.
„In mores te verte viri: si cantica jactat, 45
  „I comes et voces ebria junge tuas.
„Janitor ad dantes vigilet: si pulset inanis,
  „Surdus in obductam somniet usque seram.
„Nec tibi displiceat miles non factus amori,
  „Nauta nec attrita, si ferat aera, manu, 50

„ Aut quorum titulus per barbara colla pependit,
„ Caelati medio cum saluere foro.
„ Aurum spectato, non quae manus afferat aurum.
„ Versibus auditis quid, nisi verba, feres?
„ Qui versus, Coae dederit nec munera vestis, 55
„ Istius tibi sit surda sine arte lyra.
„ Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus,
„ Utere, ne quid cras libet ab ore dies.
„ Vidi ego odorati vix orta rosaria Paesti
„ Sub matutino cocta jacere Noto." 60
His animum nostrae dum versat Acanthis amicae

. . . . . .

Sed cape torquatae, Venus o regina, columbae
Ob meritum ante tuos guttura secta focos.
Vidi ego rugoso tussim concrescere collo, 65
Sputaque per dentes ire cruenta cavos,
Atque animam in tegetes putrem exspirare paternas;
Horruit algenti pergula curva foco.
Exsequiae fuerant rari furtiva capilli
Vincula, et immundo pallida mitra situ, 70
Et canis in nostros nimis experrecta dolores,
Cum fallenda meo pollice clathra forent.
Sit tumulo lenae curto vetus amphora collo;
Urgeat hunc supra vis, caprifice, tua,
Quisquis amas, scabris hoc bustum caedito saxis, 75
Mixtaque cum saxis adjice verba mala.

3. Manes in ipso cinere tuo non quiescant, sed errent et vagentur. Codd. *t Cerberus;* Perrejus et edd. vulg. *at Cerberus.*

6. Gron. et Neap. *pessima avis;* Heinsianus, Vossianus et Perrejus *anus.*

7. Gron. et Neap. *neglecto rumore mariti;* Mentelianus *maritum.* Heinsius roponebat *maritam* vel *pudicam;* Passeratius *maritae*, uxoris pudicae; quae ectio probabilior videtur. Ovid. *Art. Am.* II, 381. *Conjugis admissum violaque jura maritae.*

11, 12. Gron. et Neap. *Quippe et;* Perrejus, Vaticanus I, Colotianus *Quippe ut.* Gron. et Neap. *noverit;* ed. Rheg. et Borrichianus *moverit.* Lego *Quippe ut* cum Perrejo, et *noverit* cum opt. MSS.; totumque distichum sic expono: quae ubi noverit, recognoverit herbas lectas ex sepulcretis portae Collinae, easque in fossam vel scrobem magicam admoverit, citato cursu, res stantes, immobiles diluerentur, discurrerent more fluminum. Plura sunt in hoc et in sequentibus spuriis carminibus contorte et inconcinne dicta. — Longe aliter explicat Ungerus; qui, *moverit* retinens, *collinas herbas* intelligit pro collibus ipsis qui herbas gignunt, et interpretatur: quae movet, mutat montes. Sed *movere ad fossam* explicatu arduum, nisi dicas lenam traducere solitam montes ad foveam, quod parum cohaeret. Videat tamen lector.

14. *Fallere terga lupo*, speciem lupi induere. Ungerus mavult *vellere terga*, quia luporum pili magicis artibus inserviebant. Horatius, Sat. I, 8: *utque lupi barbam . . . Abdiderint furtim terris.*

15. Gron. et Neap. *posset et;* Perrejus *possit ut.*

19. Codd. omnes *seu blanda.*

20. Codd. omnes *saxosamque.* Pro *culpa* Heinsianus *lympha.* Scripsi *saxosamve:* lena exorabat opus verbis, verba rei aptabat, seu culpa quam sedulis curis laudabat, blande et facile perurat puellam, facilem ad eam inveniat viam, seu terat viam saxosam et difficilem. Haec quoque retorta et gibberosa, neque Propertio digna.

21. Gron. *doroxantum juvat;* Neap. *dorozantum;* Mentelianus *derorantem;* Dresdensis *dororantum;* Heinsianus *decoratum;* Puccius: *juvat dorozantumque;* ita quidem Perrejus et altera Aldina. Beroaldus ait „Dorozantes esse Indiae populos, ubi aurum flumina vehunt.“ Sed Burmannus monuit doctum virum memoriam fefellisse, quum ad Q. Curtii auctoritatem provocet, in quo populi illi minime memorantur. Conjecturas innumerabiles proferre fastidiosum esset. Turnebus et Scaliger nomen puellae latere opinabantur; sed potius videtur ad populos aureosque Orientis fluvios auctorem carminis spectare; quem autem populum designaverit, haud facile e Codicum vestigiis colligitur. Si tibi, candide lector, perspicuitas sufficit, legito: *Si te qua colitur Ganges, juvat aurea ripa:* et Virgilianam pro personati Propertii locutione habebis. Sin gentis cujusdam absconditum nomen rogas, Volscus jamdiu ediderat: *Si te Eoa juvat Debarumque aurea ripa.* „Debae, scribit Stephanus in Dictionario Geographico, populi Arabiae Sabaeis proximi, per quos labitur flumen auri strigilem deferens, teste Strabone Lib. 16. Strabo (p. 777 Cas.): „flumen per eos labitur quod auri ramenta defert; sed artem eorum in massam auri convertendorum ignorant. Ipsi *Debae* vocantur... Ego prisca gentium vocabula tum quod obsoleta, tum propter absurditatem pronuntiationis omitto.“ Sed prima *Debarum* corripitur. Hinc Prima Aldina: *Si te Eoa juvat Debatarumque aurea ripa.* Retinui corruptum *Dorozantum.*

29. *Simulare virum;* te nuptam fingere. Furta pudici tori carius adpetuntur.

34. Codd. *Sideris dies;* Beroaldus correxit *Isidis.*

35. Ex ancillis tuis Iole dicat te natam Aprili, Amycle fingat Idibus Maji.

52. Codd. *caelati,* id est stigmatici, servi e fuga retracti. Vel turpiores flagitiosioresque servos ne despexeris, si adferant crumenam tumentem.

54. Hic Codd. addunt distichum:

Quid juvat ornato procedere, vita, capillo,
Et tenues Coa veste movere sinus?

Quidam glossae modo, hos versus exemplaris sui margini adscripserat distichum Propertianum cogitans, scriba in contextum traduxit, editores servarunt; ejecerat Lachmannus, recentiores restituere. Leguntur in El. V Lib. Prim. *Cynthiae.*

55. Poeta ignoti nominis, quicumque sit, hic non tantum Ovidii Lib. Prim. *Am.* VII elegiae meminit, sed *Art. Am.* II, v. 381 et seq.:

*Carmine laudantur: sed munera magna petuntur:*
*Dummodo sit dives, barbarus ipse placet . . .*
*Ipse licet Musis venias comitatus, Homere,*
*Si nihil adtuleris, ibis, Homere, foras.*

58. Ne aetas detrahat aliquid de forma, uti explicat Forcellinius. Codd. scriptura emendationem non poscit.

59. Codd. *victura rosaria.* Interpretes: diutius permansura. Sed quisnam florum aetatem diuturnam promittit? Heinsius emendavit *vix orta.*

67. *Tegetes,* storia ex calamis.

68. Gron. *pocula curva,* Neap. *percula curva.* Dresdensis et Perrejus *Pergula curva. Pergulam* intelligo de paupere casula, mendici habitaculo; v. Forcellinium ad vocem) *curvam,* quae sub pondere suo curvatur, ruinam minitatur.

72. Gron. *cultra;* Neap. *caltra;* Puccius *claustra;* Perrejus *clathra,* id est *clathros,* quod saepius usurpatur.

73. Codd. *sit tumulus,* quod interpretes explicant: Amphora vetus sit tumulus illi. Sed Burmannus docuit in tumulis vetularum bibacium veteres adposuisse scyphum vacuum, et correxit *sit tumulo,* sit in tumulo.

76. Gron. *adjice verba;* Neap. *addite.*

## II.

### DE DRACONE LANUVII.

(Codd., Burm. 8, IV; Lachm. 8, V.)

Hos versus, fragmentum carminis deperditi, Codd. adjungunt elegiae subsequenti. Veteres editiones separarunt, praeponentes tamen primum distichum

insequentis, quod nihil ad rem facit, et quo altera est inchoanda. Lipsius, Dousa Filius et Broukhusius germanum ordinem docuerunt.

Lanuvium annosi vetus est tutela Draconis,
  Hic ubi tam rarae non perit hora morae.
Qua sacer abripitur caeco descensus hiatu,
  Qua penetrat — virgo, tale iter omne cave! —
Jejuni serpentis honos, cum pabula poscit 5
  Annua et ex ima sibila torquet humo.
Talia demissae pallent ad sacra puellae,
  Cum tremere anguino creditur ore manus:
Ille sibi admotas a virgine corripit escas,
  Virginis in palmis ipsa canistra tremunt. 10
Si fuerint castae, redeunt in colla parentum,
  Clamantque agricolae: „Fertilis annus erit."
Huc mea detonsis avecta est Cynthia mannis:
  Causa fuit Juno, sed mage causa Venus.
Appia, dic, quaeso, quantum te teste triumphum 15
  Egerit, effusis per tua saxa rotis,
Turpis in arcana sonuit cum rixa taberna,
  Si sine me, famae non sine labe meae.
Spectaclum ipsa sedens primo temone pependit,
  Ausa per impuros frena movere locos. 20
Serica nam captat volsi carpenta nepotis,
  Atque armillatos colla Molossa canes,
Qui dabit immundae venalia fata saginae,
  Vincet ubi erasas barba pudenda genas.

. . . . . .

2. Interpretor: hic ubi restat, viget mirificum istud spectaculum, ubi occasio praebetur tam rarum spectaculum visendi. *Mora*, tempus morando tritum. Virg. Aen. IX, v. 23: *rem magnam pretiumque morae fore.* Caeterum sex versuum sensus obscurus et implicatus est, aestuantque interpretes in expositione. Conjecto: Antiquum Lanuvium positum est in tutela veteris serpentis, et ibi

semper viget mirandum et notum spectaculum. Quum sacrum barathrum aperitur, tum per illud mittantur canistra cibis referta et serpentis honori dicata, qui annua pabula poscit horrende sibilans humoque se torquens. At, o Virgo, si non sis casta, hoc iter ante omnia time. *Qua, qua* est *tum, cum. Omne cave*, cave ante omnia, omnino.

15. Viam Appiam alloquitur testemque invocat triumphi. Propertius El. XX Lib. Tert. Appiam viam nominaverat; falsificator loci meminit.

17. *Arcana taberna* i. e. casula suspecta. „Tabernae, ait Isidorus, olim vocabantur aediculae plebejorum parvae et simplices, quae nunc, etsi non speciem, tamen nomen pristinum retinent.“

20. *Impuros locos* interpretor suspecta loca, ubi arcanae tabernae extiterant, per quae falsa Cynthia ab Appia via deflectens currum egerat.

21. Gron. *Serica nam capto;* Neap. *Siringam tacto.* In Cod. Pontani: Sic *auriga trahit*, quasi dicat: aurigae munia sustinet. Beroaldus correxit *Serica nam taceo*, in vulgg. receptum; hoc est: nil de curru dicam, nil de canibus etc. Groningani vestigia premens scribo *Serica nam captat.* Meretricula adsequi conabatur decoctoris carpenta, ejusque armillatos canes. Sed tempus terere in hoc carmine expoliendo piget. Qui talia Propertio adscribunt, Propertium immerito laedunt. — Vulsi erant effeminati homines, quibus pili vellebantur, ut glabri levesque inspicerentur.

23. Qui gladiator erit et suis instar saginabitur ad caedem in Circo (*venalia fata*), frustra barbam eradet, cum cinaedus iste, aetate superante, turpis sit amatoribus.

## III.

### CYNTHIAE RIXA.

(Codd. Burm. 8, IV; Lachm. 8, V.)

Disce quid Esquilias hac nocte fugarit aquosas,
  Cum vicina novis turba cucurrit agris.
Cum fieret nostro toties injuria lecto,
  Mutato volui castra movere toro.
Phyllis Aventinae quaedam est vicina Dianae, 5
  Sobria grata parum: cum bibit, omne decet.
Altera Tarpejos est inter Teïa lucos,
  Candida; sed potae non satis unus erit.

His ego constitui noctem lenire vocatis,
  Et Venere ignota furta novare mea. 10
Unus erat tribus in secreta lectulus umbra.
  Quaeris concubitus? inter utramque fui.
Lygdamus ad cyathos, vitrique aestiva supellex,
  Et Methymnaei Graeca saliva meri;
Nile, tuus tibicen erat, crotalistria Phyllis, 15
  Et facilis spargi munda sine arte rosa;
Nanus et ipse suos breviter concretus in artus
  Jactabat truncas ad cava buxa manus.
Sed neque suppletis constabat flamma lucernis,
  Recidit inque suos mensa supina pedes. 20
Me quoque per talos Venerem quaerente secundos,
  Semper damnosi subsiluere canes.
Cantabant surdo, nudabant pectora caeco:
  Lanuvii ad portas, hei mihi, solus eram!
Cum subito rauci sonuerunt cardine postes, 25
  Et levia ad primos murmura facta Lares:
Nec mora, cum totas resupinat Cynthia valvas,
  Non operosa comis, sed furibunda decens.
Pocula mi digitos inter cecidere remissos,
  Palluerantque ipso labra soluta mero. 30
Fulminat illa oculis, et quantum femina saevit;
  Spectaclum capta nec minus urbe fuit.
Phyllidos iratos in vultum conjicit ungues:
  Territa vicinas Teïa clamat anus.
Lumina sopitos turbant elata Quirites, 35
  Omnis et insana semita nocte sonat.
Illas direptisque comis tunicisque solutis
  Excipit obscurae prima taberna viae.
Cynthia gaudet in exuviis victrixque recurrit,
  Et mea perversa sauciat ora manu, 40

Imponitque notam collo morsuque cruentat,
  Praecipueque oculos, qui meruere, ferit.
Atque ubi jam nostris lassavit brachia plagis,
  Lygdamus ad plutei fulcra sinistra latens
Eruitur, geniumque meum protractus adorat. 45
  Lygdame, nil potui: tecum ego captus eram.
Supplicibus palmis tum demum ad foedera veni,
  Cum vix tangendos praebuit illa pedes,
Atque ait: „Admissae si vis me ignoscere culpae,
  „Accipe quae nostrae formula legis erit. 50
„Tu neque Pompeja spatiabere cultus in umbra,
  „Nec, cum lascivum sternit arena forum.
„Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum,
  „Aut lectica tuae se det aperta morae.
„Lygdamus in primis, omnis mihi causa querelae, 55
  „Veneat et pedibus vincula bina trahat."
Indixit leges: respondi ego „legibus utar."
  Riserat imperio facta superba dato.
Dein quemcumque locum externae tetigere puellae,
  Suffiit, et pura limina tergit aqua; 60
Imperat et totas iterum mutare lacernas,
  Terque meum tetigit sulfuris igne caput.
Atque ita mundato per singula pallia lecto,
  Et sponda et tuto solvimus arma toro.

11. Codd. *secreta herba*, quod vix explicari potest. Heinsius conjecit *umbra*, quod est umbraculum vel tentorium deliciis instructum in remotiore aedium parte, puta in hortis.

12. *Concubitus* non obscene dictum; inter Phyllidem et Teïam accumbebat.

13. Codd. *utrique supellex;* Scaliger correxit *vitrique*.

15. Codd. *Nile, tuus*. Scaliger *Nilotes*, Aegyptius. Sed *Tibicen erat tuus, o Nile*, enumerationem variat. Codd. *choralistria;* Turnebus reposuit *crotalistria*. Phyllis, e duabus una, crotala percutiebat.

24. Solus, totus defixus eram in cogitatione Lanuvii; ad ea quae in carmine praecedenti narrata fuerant, respicit.

33. Neap. *ungues*, Gron. *ignes*.

34. Codd. *clamat aquas;* Puccius *clamat anus*, auxilio vicinas anus vocat.

39. Gron. *cucurrit*.

45. Gron. *exuitur;* Neap. *eruitur*. Gron. *prostratus;* Neap. *protractus*.

54. Perobscurus locus. Gron. *tuae sudet aperta morae*. Heinsianus et Borrichianus *tua sidat operta mora*. Primam scripturam exponunt: ne lecticarii tui sudare cogantur, si in via a te detineantur morando, quando ea aperta cum puella obvia diutius colloqueris. Sed lecticarii lecticam vehentes sudant, non morantes. Alteram interpretatur Broukhusius: ne lectica aliqua clausa, in qua amicarum tuarum una vehatur, sidat, vel humi deponatur, ut cum illa colloquaris. Contorte profecto. Heinsius conjecit *se det* pro *sudet* aut *sidat*, consentientibus Grutero et Marklando. Sensus erit: „ne te moretur lectica aperta per viam praeteriens, in qua vehatur aliqua puella.“ *Se det*, praebeat occasionem morae tuae. Nihil melius vidi aut cogitavi.

60. Gron. *sufficiat;* Neap. *sufficit;* Puccius *suffit et;* Beroaldus correxit *suffiit et*.

63. Codd. *mutato;* Heinsius emendavit *mundato*.

64. Codd. *Respondi et toto*. Puccius *despondi et tuto*. Heinsius emendavit *et sponda*. *Tuto toro*, id est pacato. *Solvimus arma*, finivimus rixam, pacem fecimus.

## IV.

### UMBRA CYNTHIAE.

(Codd., Burm. 7, IV; Lachm. 7, V.)

Qui Propertio hocce carmen tribuerunt, non solum Umbri poetae sagacissimum judicium, sed etiam humaniorem animum calumniati sunt. Versificatori venia sit, qui ingenii exercitatione et specie clarissimi cujusdam poetae nomen et colores mutuatus talibus scriptionibus nugatus est; nos autem ne illi adscribamus, qui per quinque annos feminam ingenio, forma nec non animi quadam bonitate praeditam adamavit, quique ne lacrima quidem, ut ait Flaccus, sparsit amantis *calentem favillam*. Ad rerum descriptarum veritatem quod attinet, Propertius jam pridem Cynthiae valedixerat, trajecerat Syrtes, portum tetigerat (V. Ult. *Cynthia*), seque in sacraria Mentis Bonae condiderat; forsitan (quod neque confirmare neque negare velim) propediem maritus fuit et pater; tum, immaturo fato abreptus, fortasse ante Cynthiam, Elysias rosas legebat, neque tenebatur a Doridis herbis

aut Nomadis salivis, neque aurata cyclade limina sua signabat, *Quae modo per viles inspecta est publica noctes.*

Sunt aliquid manes: letum non omnia finit,
  Lucidaque evictos effugit umbra rogos.
Cynthia namque meo visa est incumbere fulcro,
  Murmur ad extremae nuper humata viae,
Cum mihi somnus ab exequiis penderet amoris, 5
  Et quererer lecti frigida regna mei.
Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos,
  Eosdem oculos: lateri vestis adusta fuit;
Et solitum digito beryllon adederat ignis,
  Summaque Lethaeus triverat ora liquor. 10
Spirantisque animos et vocem misit; at illi
  Pollicibus fragiles increpuere manus:
„Perfide, nec cuiquam melior sperande puellae,
  In te jam vires somnus habere potest?
Jamne tibi exciderant vigilacis tecta subacta, 15
  Et mea nocturnis trita fenestra dolis?
Per quam demisso quotiens tibi fune pependi,
  Alterna veniens in tua colla manu!
Saepe Venus trivio commissa est, pectore mixto
  Fecerunt tepidas pallia nostra vias. 20
Foederis heu taciti! cujus fallacia verba
  Non audituri diripuere Noti.
At mihi non oculos quisquam inclinavit euntis:
  Unum impetrassem te revocante diem!
An crepuit fissa te propter arundine custos, 25
  Laesitve objectum tegula curta caput?
Denique quis nostro furvum te funere vidit,
  Atram quis lacrimis incaluisse togam?
Si piguit portas ultra procedere, at illud
  Jussisses, lectum lentius ire meum. 30

Cur ventos non ipse rogis, ingrate, petisti?
  Cur nardo flammae non oluere meae?
Hoc etiam grave erat, nulla mercede hyacinthos
  Injicere et fracto busta piare cado!
Quae modo per viles inspecta est publica noctes, 35
  Haec nunc aurata cyclade signat humum.
Nostraque quod Petale tulit ad monimenta coronas,
  Codicis immundi vincula sentit anus.
Caeditur et Lalage tortis suspensa capillis,
  Per nomen quoniam est ausa rogare meum; 40
Et graviora rependit iniquis pensa quasillis,
  Garrula de facie si qua locuta mea est.
Te patiente meae conflavit imaginis aurum,
  Ardente e nostro dotem habitura rogo.
Non tamen insector, quamvis mereare, Properti: 45
  Longa mea in libris regna fuere tuis.
Lygdamus uratur, candescat lamina vernae:
  Sensi ego: tu insidiis pallida vina bibis.
At Nomas arcanas tollat versuta salivas:
  Ducet damnatas ignea testa manus. 50
Juro ego Fatorum nulli revolubile carmen
  (Tergeminusque canis sic mihi molle sonet),
Me servasse fidem. Si fallo, vipera nostris
  Sibilet in tumulis et super ossa cubet.
Nec tu sperne piis venientia somnia portis: 55
  Cum pia venerunt somnia, pondus habent.
Nocte vagae ferimur; nox clausas liberat umbras;
  Errat et abjecta Cerberus ipse sera.
Luce jubent leges Lethea ad stagna reverti
  Nos vehimur; vectum nauta recenset onus. 60
Nam gemina est sedes turpem sortita per amnem,
  Turbaque diversa remigat omnis aqua.

Una Clytaemnestrae stuprum vehit, unaque Cressae
  Portat mentitae lignea monstra bovis.
Ecce coronato pars altera vecta phaselo, 65
  Mulcet ubi Elysias aura beata rosas;
Qua numerosa fides, quaque aera rotunda Cybebes,
  Mitratisque sonant Lydia plectra choris.
Andromedeque et Hypermnestre sine fraude maritae
  Narrant, historiae pignora nota suae. 70
Haec sua maternis queritur livere catenis
  Brachia, nec meritas frigida saxa manus.
Narrat Hypermestre magnum ausas esse sorores:
  In scelus hoc animum non valuisse suum.
Sic mortis lacrimis vitae sanamus amores: 75
  Celo ego perfidiae crimina multa tuae.
Nunc te possideant aliae: mox sola tenebo:
  Mecum eris, et mixtis ossibus ossa teram.
Sed tibi nunc mandata damus, si forte moveris,
  Si te non totum Doridos herba tenet. 80
Nutrix in tremulis ne quid desideret annis
  Parthenie: patuit, nec tibi avara fuit.
Deliciaeque meae Latris, cui nomen ab usu est,
  Ne speculum dominae porrigat illa novae.
Et quoscumque meo fecisti nomine versus, 85
  Ure mihi: laudes desine habere meas.
Pelle hederam tumulo, mihi quae pugnante corymbo
  Mollia contortis adligat ossa comis.
Pomosis Anio qua spumifer incubat arvis,
  Et numquam Herculeo numine pallet ebur, 90
Hic carmen media dignum me scribe columna,
  Sed breve, quod currens vector ab urbe legat:
*Hic Tiburtina jacet aurea Cynthia terra:*
  *Accessit ripae laus, Aniene, tuae.*" —

Haec postquam querula mecum sub lite peregit, 95
Inter complexus excidit umbra meos.

2. Codd. *lurida;* sed Vaticanus V, Perrejus, ed. Rheg., utraque Aldina, Juntina *lucida.*

4. Codd. *murmur*, id est via Tiburtina, qua murmurat Anio. Exemplum vel deterioris aetatis desideratur, in quo *murmur* hoc sensu usurpatum sit, sine additamento *aquae*, *rivi* etc. Passeratius legebat *marmor*, Heinsius *Margine in extremae.* An *Tiburis extrema nuper humata via?*

5. Codd. *amoris*, i. e. Cynthiae.

15. Gron., Neap. et vulg. edd. *vigilacis furta Suburrae;* quod exponunt: furta amatoria in via Suburra canibus frequente, qui ad aedes meretricium vigilabant! Me Castor nimium est! Ergo haec nova Cynthia (non S. Aurelii Cynthia) canes pertimescebat, eadem quae *committebat Venerem trivio?* Mentelianus, Vossianus, Heinsianus *tecta* pro *furta*, Vossianus *subire* pro *Suburrae;* et sic Ed. Rheg. necnon Volscus. Unde sinceram scripturam fuisse credo: *vigilacis tecta subacta.* Vigilax est vir, quem, si mavis, maritum vocabis. Locus Ovidianus huic versui et subsequenti lucem adfudit: *At tu per praeceps tecto delabere aperto: Det quoque furtivas alta fenestra vias. Art. Am.* II, 245.

23. Gron. *inclinavit;* Neap. *inclamavit.*

25. Codd. omnes *nec crepuit.* Immania portenta eruditi somniarunt in loci interpretatione haerentes. Facilis, vulgaris immo sententia elucet, si legis *an crepuit.* Janitor ingressum prohibebat moecho; sed, puella aegrotante, porta patebat. Pseudocynthia amatorem arguit: cur non venisti? custos baculo suo tibi non minitabatur, nec tegulam in caput tuum jecit.

26. Codd. *Laesit et;* emendavi *Laesitve*, sententia imperante.

35. Versuum ordinem commutavi usque ad finem elegiae.

48. Codd. *sensi ego quum insidiis pallida vina bibi.* Vina venenis mixta omnes interpretantur praeter Scaligerum. Omnino tamen non est credendum, feminam veneno ablatam vanas et longas querimonias ejaculare, quodque rei caput erat, crimen horrendum cursim indicare. Hinc Scaliger intelligebat de vino quod sepulcris libabatur. Ego vero conjicio de philtris amatoriis. Jam Doridis herbam, Nomadis salivam, magicas artes, quae a se amatorem eripuerant, insectata est; nunc Lygdamum, qui amatoria pocula a sagis parata praebebat domino. Personatus scriptor imitatur elegiam *Cynthiae* Lib. Tert. qua de hisce artibus nugatur. Reposui: *Sensi ego: tu insidiis pallida vina bibis.* Ovidius *Art. Am.* II, 105: *Nec data profuerint pallentia philtra puellis.*

63. Codd. *una vehit, altera Cressae.* Corrupte, quia eadem aqua Clytaemnestram et Pasiphaën portat; altera vero Andromeden et Hypermnestram. Puc-

cius habet *atraque* pro *altera;* Hertzbergius scripsit *unda Clytaemnestrae stuprum vehit altera, Cressae portat* etc. Praestat procul dubio Livineji nota elegansque emendatio: *unaque* pro *altera.*

70. Codd. *pectora nota.* Recepi Livineji correctionem *pignora.* Ovid. Ex Ponto IV, 13: *Qui dederint animi pignora nota sui.*

75. *Sic mortis lacrimis vitae* etc. *Mortis lacrimis* pro «nunc mortuae cum lacrimis» insulsaque oppositio *mortis* et *vitae* cui placebit? Scio equidem alia majoraque extare in carmine intelligens judicium offendentia. Hic tamen reprehendendam censeo scribarum negligentiam potiusquam auctoris ineptias. Heinsius eleganter conjecit *Sic ortis lacrimis.*

80. *Doridos haeba.* Doris vel saga vel altera amica.

82. Codd. *avara fuit;* Perrejus *amara.*

83. Codd. *Latris cui nomen ab usu est;* hoc est ancilla, cujus nomen a Graeco derivatur; *Λάτρις*, serva, famula; quasi Propertius Graeci sermonis prorsus ignarus glossemate indigeret. Id recte animadvertit Fonteinius, qui ingeniose correxit *Deliciaeque meae, Latri, tu nomina mutes;* eam in libertatem vindicabis, *ne speculum dominae porrigat illa novae.* Servis in libertatem assertis nomina mutabantur.

89. *Ramosis pomifer* Codd. Broukhusius correxit *Pomosis spumifer.* Defenditur tamen *pomifer*, quia agri apud Anienem malis abundant.

FINIS.

# INDEX.

DOMINICUS CARUTTI Benevolo lectori S. D. . . . . Pag. V.
De vita et carminibus Propertii dissertatio . . . . . " VII.
I. De vita Propertii. . . . . " Id.
II. De Propertii carminibus . . . . . " XXI.
III. De hac editione *Cynthiae* . . . . . " XXVII.
IV. De Quarto Libro Pseudopropertiano . . . . . " XXXIV.
V. De auctore *Dierum* et de poeta Sabino . . . . . " XLIV.
De Passennio Paullo excursus . . . . . " XLIX.
Conspectus temporum quibus Propertius vixit, elegos scripsit et edidit. " LIII.
Elenchus Codicum Propertii MSS. . . . . " LV.
De praecipuis Propertii editionibus . . . . . " LVII.

CYNTHIAE LIBER PRIMUS:

I. **Ad Tullum**. Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis. Pag. 1.
(Codices, Burmannus, Lachmannus 1, I.)

II. **Ad amicam**. Credis eum jam posse tuae meminisse figurae. " 3.
(Codd. 20, Burm. 18, III; Lachm. 19, IV.)

III. **Amoris foedus**. Nox mihi prima venit; primae data tempora noctis . . . . . " 4.
(Codd. 20, Burm. 19, III; Lachm. 20, IV.)

IV. **Prima nox**. O me felicem! o nox mihi candida! et o tu. " 5.
(Codd. 14, Burm. 12, II; Lachm. 6, III.)

V. **Ad Cynthiam**. Quid juvat ornato procedere, vita, capillo. " 7.
(Codd., Burm., Lachm. 2, I)

VI. **De Cynthia dormiente**. Qualis Thesea jacuit cedente carina " 9.
(Codd., Burm., Lachm. 3, I.)

VII. **Ad Cynthiam**. Tune igitur demens? nec te mea cura moratur? . . . . . " 12.
(Codd., Burm., Lachm. 8, I.)

VIII. **Ad eandem.** Hic erit! hic jurata manet! rumpantur iniqui. Pag. 14.
(Codd., Burm, Lachm. 8 vel 9, I.)
IX. **Ad Bassum.** Quid mihi tam multas laudando, Basse, puellas. " 14.
(Codd., Burm., Lachm. 4, I.)
X. **De Aemulo.** Hoc erat in primis quod me gaudere jubebas? " 16.
(Codd. 24 et 25, Burm. 19, II; Lachm. 17 et 18, III.)
XI. **Ad Cynthiam.** Unica nata meo pulcherrima cura dolori. " 19.
(Codd. 25, Burm. 19, II; Lachm. 18, III.)
XII. **Ad Jovem. Pro amica aegrotante.** Jupiter affectae tandem miserere puellae . . . . . " 20.
(Codd. 28, Burm. 21, II; Lachm. 22, III.)
XIII. **Ad eundem.** Deficiunt magico torti sub carmine rhombi. " 22.
(Codd. 28, Burm. 21, II; Lachm. 22, III.)
XIV. **Ad Proserpinam et Plutonem.** Haec tua, Persephone, maneat clementia, nec tu . . . . . " 23.
(Codd. 28, Burm. 21, II; Lachm. 23, III.)
XV. **Ad Tullum.** Tu licet abjectus Tiberina molliter unda. . " 24.
(Codd., Burm. 14; Lachm. 15, I.)
XVI. **Ad Cynthiam Bajis cessantem.** Ecquid te mediis cessantem Cynthia, Bajis . . . . . " 25.
(Codd., Burm. 11, Lachm. 12, I.)
XVII. **Ad amicum.** Quid mihi desidiae non cessas fingere crimen. " 27.
(Codd., Burm. 12, Lachm. 13, I.)
XVIII. **Defletur mors Marcelli.** Clausus ab umbroso qua allidit pontus Averno . . . . . " 29.
(Codd. 18, Burm. 16, III; Lachm. 17, IV.)
XIX. **De Pantho.** At quantum de me Panthi tibi pagina finxit. " 31.
(Codd. 21, Burm. 17, II; Lachm. 13, III.)
XX. **Ad Cynthiam.** Non ego nunc tristes vereor, mea Cynthia, Manes . . . . . " 33.
(Codd. et Burm. 19; Lachm. 20, I.)
XXI. **Ad Cynthiam.** Saepe ego multa tuae levitatis dura timebam. " 34.
(Codd. et Burm. 15, Lachm. 16, I.)
XXII. **Ad Cynthiam.** Quid flES abducta gravius Briseide? quid flES. " 36.
(Codd. 20, Burm. 16, II; Lachm. 12, III.)
XXIII. **Lamentatur solus.** Haec certe deserta loca et taciturna querenti . . . . . " 38.
(Codd., Burm. 18, Lachm. 19, I.)
XXIV. **De exclusione.** Mentiri noctem, promissis ducere amantem. " 40.
(Codd. 17, 18, Burm. 13, 14, II; Lachm. 8, 9, III.)

XXV. **Ad Cynthiam.** Hoc verum est tota te ferri, Cynthia, Roma . . . . . Pag. 42.
(Codd. 5, Burm. 4, Lachm. 5, II.)

XXVI. **De rivali.** Iste quod est, ego saepe fui, sed fors et in hora. „ 44.
(Codd. 9, Burm. 7, Lachm. 10, II.)

XXVII. **Verba januae conquerentis.** Quae fueram magnis olim patefacta triumphis. . . . . „ 46.
(Codd. et Burm. 16, Lachm. 17, I.)

XXVIII. **In Praetorem Ilyricum.** Praetor ab Ilyricis venit modo, Cynthia, terris . . . . . „ 48.
(Codd. 16, Burm. 13, II; Lachm. 7, III.)

XXIX. **Fragmenta.** Sic igitur prima moriere aetate, Properti . „ 52.
(Codd. 8, Burm. 7, Lachm. 9, II.)

XXX. **Ad amicum.** Omnia vertuntur: certe vertuntur amores . . „ 53.
(Codd., Burm. 7, Lachm. 8, II.)

XXXI. **Cynthiae valedicit.** Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas . . . . . „ 55.
(Codd. 21, Burm. 20, III; Lachm. 21, IV.)

XXXII. **De maris tempestate.** Et merito quoniam potui fugisse puellam . . . . . „ 56.
(Codd. et Burm. 17, Lachm. 18, I.)

XXXIII. **Gallus ad commilitonem.** Tu qui consortem properas evadere casum . . . . . „ 56 *b*.
(Codd., Burm. 21, Lachm. 22, II.)

XXXIV. **Ad Tullum.** Qualis et unde genus, qui sint mihi, Tulle, penates. . . . . „ 57.
(Codd., Burm. 22; Lachm. 23, I.)

CYNTHIAE LIBER SECUNDUS:

I. Quaeritis unde mihi toties scribantur amores . . . . . „ 59.
(Codd. 1 et 13; Burm. 1 et 10, II; Lachm. 1, II et 3, III.)

II. **Ad Maecenatem.** Navita de ventis, de tauris narrat arator. „ 61.
(Codd., Burm. et Lachm. 1, II.)

III. **Ad Demophoontem.** Scis, here, mi multas pariter placuisse puellas . . . . . „ 65.
(Codd. 22, Burm. 18, II; Lachm. 14, III.)

IV. **De amoris servitute.** Ingenuus quisquam alterius dat munera servo. . . . . „ 67.
(Codd. 23, Burm. 18, II; Lachm. 15, III.)

V. **Ad amicum.** Tu loqueris, cum jam sis noto fabula libro. Pag. 70.
(Codd. 23, Burm. 18, II; Lachm. 6, III.)
VI. His saltem ut tenear jam finibus! hei mihi, si quis. . . „ 71.
(Codd. 4, Burm. 2, Lachm. 4, II.)
VII. **Ad Gallum.** Tu, quod saepe soles, nostro laetabere casu. „ 73.
(Codd., Burm. 13, Lachm. 14, I.)
VIII. **Cynthiae laudes.** Qui nullam tibi dicebas jam posse nocere. „ 75.
(Codd. 2 et 3, Burm. 2, Lachm. 2 et 3, II.)
IX. **De captivitate sua.** Hesterna potus media cum nocte vagarer. „ 79.
(Codd. 29, Burm. 22, II; Lachm. 24, III.)
X. **Cynthiae noctes.** Non ita Dardanio gavisus Atrida triumpho est. . . . . „ 80.
(Codd. 14, Burm. 11, II; Lachm. 5, III.)
XI. **Amoris imperium.** Num jam, dure, paras Phrygias nunc ire per undas . . . . . „ 82.
(Codd. 30, Burm. 23, II; Lachm. 25, III.)
XII. **Ad Tullum.** Non ego nunc Hadriae vereor mare noscere tecum . . . . . „ 84.
(Codd., Burm., Lachm. 6, I.)
XIII. **De Amore.** Quicumque ille fuit, puerum qui pinxit Amorem. „ 87.
(Codd. 12, Burm. 9, II; Lachm. 2, III.)
XIV. **Somnium naufragii.** Vidi te in somnis fracta, mea vita, carina. „ 88.
(Codd. 26, Burm. 20, II; Lachm. 19, III.)
XV. **Ad Cynthiam proficiscentem.** Nunc admirentur, quod tam mihi pulcra puella . . . . . „ 89.
(Codd. 26, Burm. 20, II; Lachm. 20, III.)
XVI. **De Amante.** At vos incertam, mortales, funeris horam. „ 92.
(Codd. 27, Burm. 20, II; Lachm. 21, III)
XVII. **De Cynthia.** Mane erat, et volui, si sola quiesceret illa. „ 93.
(Codd. 29, Burm. 22, II; Lachm. 24, III.)
XVIII. **Ad Gallum.** Invide, tu tandem voces compesce molestas. „ 94
(Codd., Burm., Lachm. 5, I.)
XIX. **Fragmenta.** His olim, ut fama est, vitiis ad praelia ventum. „ 96.
(Codd. 6, Burm. 5, Lachm. 6, II.)
XX. **Ad Cynthiam fragmenta.** Non ita complebant Ephyreae Laidos aedes . . . . . „ 97.
(Codd. 6, Burm. 5, Lachm. 6, II.)
XXI. **Ad Ponticum.** Dum tibi Cadmeae dicuntur, Pontice, Thebae. „ 98.
(Codd., Burm., Lachm. 7, I.)

XXII. **In sacra Isiaca.** Tristia jam redeunt iterum solemnia nobis. Pag. 99.
(Codd. 23, Burm. 24, II; Lachm. 29, III.)
XXIII. **Ad Cynthiam.** At tu, quae nostro nimium placata dolori es . . . . . " 101.
(Codd. 33, Burm. 24, II; Lachm. 29, III.)
XXIV. **Laudes ruris.** Etsi me invito discedis, Cynthia, Roma . " 102.
(Codd. 19, Burm. 15, II; Lachm. 11, III.)
XXV. **Ad Augustum.** Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis. " 104.
(Codd. 10, Burm. 8, II; Lachm. 9, III.)
XXVI. **Ad Lynceum.** Cur quisquam faciem dominae jam credat amico? . . . . . " 106.
(Codd. 34, Burm. 25, II; Lachm. 30, III.)
XXVII. **De triumpho Caesaris.** Arma Deus Caesar dites meditatur ad Indos . . . . . " 107.
(Codd. 4, Burm. 3, III; Lachm. 3, IV.)
XXVIII. **Ad amicam.** Pacis Amor Deus est, pacem veneramur amantes . . . . . " 109.
(Codd. 5, Burm. 4, III; Lachm. 4, IV.)
XXIX. **Ad Lynceum poetam.** Lynceus ipse meus suos insanit amores. . . . . " 111.
(Codd. 34, Burm. 25, II; Lachm. 30, III.)

APPENDIX LIBRI SECUNDI. **Virgilii Laudes.** Versus interpolati. El. XXIX . . . . . " 116.

CYNTHIAE LIBER TERTIUS:

I. Callimachi Manes et Coi sacra Philetae. . . . . " 119.
(Codd., Burm. 1, III; Lachm. 1, IV.)
II. **Propertii somnium.** Visus eram molli recubans Heliconis in umbra. . . . . " 122.
(Codd. et Burm. 2, III; Lachm. 2, IV.)
III. **Ad Gallum.** O jucunda quies, primo cum testis amori. " 125.
(Codd., Burm. 10; Lachm. 11, I.)
IV. **Ad Ponticum.** Dicebam tibi venturos, irrisor, amores . " 127.
(Codd., Burm. 9, Lachm. 10, I.)
V. **Ad Lygdamum.** Dic mihi de nostra, quae sentis, vera puella. " 129.
(Codd. 5, Burm. 4, III; Lachm. 5, IV.)
VI. **Ad Cynthiam de Lycinna.** Sic ego non ullos norim in amore tumultus. . . . . " 131.
(Codd. 15, Burm. 13, III; Lachm. 14, IV.)

VII. **De morte Paeti.** Ergo sollicitae tu causa, pecunia, vitae es. Pag. 134.
(Codd. et Burm. 7, III; Lachm. 6, IV.)

VIII. **Irae amoris signa.** Dulcis ad hesternas fuerat mihi rixa lucernas . . . . . " 138.
(Codd. 8, Burm. 6, III; Lachm. 7, IV.)

IX. **Ad Maecenatem.** Maecenas, eques Etrusco de sanguine regum . . . . . " 140.
(Codd. 9, Burm. 7, III; Lachm. 8, IV.)

X. **De natali amicae.** Mirabar, quidnam misissent mane Camenae . . . . . " 143.
(Codd. 10, Burm. 8, III; Lachm. 9, IV.)

XI. **De funere suo.** Quandocumque igitur nostros mors claudet ocellos . . . . . " 144.
(Codd. 13, Burm. 10, II; Lachm. 4, III.)

XII. **De raptu Hylae.** Hoc pro continuo te, Galle, monemus amore . . . . . " 147.
(Codd. et Burm. 20; Lachm. 21, I.)

XIII. **De imperio dominae.** Quid mirare, meam si versat femina vitam. . . . . " 150.
(Codd. 11, Burm. 10, III; Lachm. 10, IV.)

XIV. **Ad Postumum.** Postume, plorantem potuisti linquere Gallam. . . . . " 153.
(Codd. 12, Burm. 10, III; Lachm. 11, IV.)

XV. **In luxum.** Quaeritis, unde avidis nox sit pretiosa puellis. " 155.
(Codd. 13, Burm. 11, III; Lachm. 12, IV.)

XVI. **De ludis Laconicis.** Multa tuae, Sparte, miramur jura palaestrae. . . . . " 159.
(Codd. 14, Burm. 12, III; Lachm. 13, IV.)

XVII. **Mandatum amicae.** Nox media, et dominae mihi venit epistola nostrae . . . . . " 161.
(Codd. 16, Burm. 14, III; Lachm. 15, IV.)

XVIII. **Ad Bacchum.** Nunc, o Bacche, tuis humiles advolvimus aris. . . . . " 163.
(Codd. 17, Burm. 15, III; Lachm. 16, IV)

XIX. **De incontinentia mulierum.** Objicitur toties a te mihi nostra libido. . . . . " 164.
(Codd. 19, Burm. 17, III; Lachm. 18, IV.)

XX. **Ad Tullum.** Frigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos. " 166.
(Codd. 22, Burm. 21, III; Lachm. 22, IV.)

XXI. **De tabellis deperditis.** Ergo tam doctae nobis periere tabellae . . . . . Pag. 168.
(Codd. 23, Burm. 22, III; Lachm 23, IV.)

XXII. **Ad Cynthiam.** Gavisa es certe sublatam, Cynthia, legem. „ 169.
(Codd. 7, Burm. 6, Lachm. 7, II.)

XXIII. **Ad Cynthiam.** Quaeris, cur veniam tibi tardior? . . „ 171.
(Codd. 31, Burm. 23, II; Lachm. 27, III.)

XXIV. **Ad eandem.** Sed tu non debes inimicae credere linguae. „ 174.
(Codd. 32, Burm. 23, II; Lachm. 28, III.)

XXV. **Ultima verba.** Falsa est ista tuae, mulier, fiducia formae. „ 176.
(Codd. 24, 25, Burm. 23, III; Lachm. 24, IV.)

---

SEX. AURELII PROPERTII IN MORTEM CORNELIAE EPICEDION . . . . . „ 179.
(Ultima Lib. IV. Codd.)

LIBER QUARTUS PSEUDOPROPERTIANUS:

**Dierum (poematis) fragmenta** . . . . . „ 188.

I. **De Urbe Roma.** Hoc quodcumque vides, hospes qua maxima Roma est . . . . . „ Id.
(Codd. et Burm. 1, IV; Lachm. 1, V.)

II. **De Vertumno.** Quid mirare meas tot in uno corpore formas. „ 192.
(Codd., Burm. 2, IV; Lachm. 2, V.)

III. **De Herculis morte.** Amphitryonides qua tempestate juvencos . . . . . „ 195.
(Codd., Burm. 9, IV; Lachm. 9, V.)

IV. **De Jove Feretrio.** Nunc Jovis incipiam causas aperire Feretri . . . . . „ 199.
(Codd., Burm. 10, IV; Lachm. 10, V.)

V. **Tarpeja.** Tarpejum nemus et Tarpejae turpe sepulcrum. „ 201.
(Codd., Burm. 4, IV; Lachm. 4, V.)

VI. **De Pugna Actiaca.** Sacra facit vates; sint ora faventia sacris . . . . . „ 206.
(Codd., Burm. 6, IV; Lachm. 6, V.)

ASTROLOGUS. **Elegia quae Propertio tribuitur.** Me creat Archytae soboles Babylonius Horops . . . . . „ 211.
(Codd., Burm. 1, IV; Lachm. 1, V.)

EPISTOLAE ARETHUSAE **quae Propertio tribuitur.** Haec Arethusa suo mittit mandata Lycotae . . . . . „ 215.
(Codd., Burm. IV; Lachm. 3, V.)

ELEGIAE QUAE PROPERTIO NOMINE FERUNTUR . . . Pag. 219.

I. **In Lenam.** Terra tuum spinis obducat, lena, sepulcrum. " Id.
(Codd., Burm. 5, IV; Lachm. 5, V.)

II. **De Dracone Lanuvii.** Lanuvium annosi vetus est tutela Draconis . . . . . " 224.
(Codd., Burm. 8, IV; Lachm. 8, V.)

III. **Cynthiae rixa.** Disce quid Esquilias hac nocte fugarit aquosas . . . . . " 225.
(Codd., Burm. 8, IV; Lachm. 8, V.)

IV. **Umbra Cynthiae.** Sunt aliquid manes: letum non omnia finit . . . . . " 229.
(Codd., Burm. 7, IV; Lachm. 7, V.)

CORRIGENDA.

Pag. 57, El. XXXIV, v. 3, lege: *sunt nota sepulcra*, pro *sepultae*; operarum vitio.